VITA
BARTOLI
IVRECONSVLTI
EX CERTISSIMIS ATQVE INDVBITATIS ARGVMENTIS DESVMPTA,

Hactenus nunquam in lucem edita:

Ioanne Paulo Lancelotto I. C. authore.

Cui acceßit eiusdem authoris aduersus detractores BALDI *defensio.*



PERVSIAE,
SVPERIORVM PERMISSV,
Apud Petrumiacobum Petrutium. M. D. LXXVI.

MARCELLVS BENTIVENGA I. C. TVDERTINVS.



SOLVIT veridicus sacrarũ ænigmata legum
Bartolus, abstrusum pandere doctus iter.
At Lancelottus tam consultißimus æqui,
Quàm grauis eloquio, q̃ decus Aonidum,
Illius insignem vitam, gesta inclita, mores,
Et patriam, & natos, & genus omne refert.
Vt non Aeacidæ magnus laudãdus Homerus
Est minus, Aeneæ nec minus ipse Maro:
Sic Lancelotti, Phœbus dum surget ab Indis,
Non minus alti soni fama perennis erit.

EIVSDEM MARCELLI BENTIVENGAE


HENDECASILLABVM CARMEN.

LANCELOTTE, tuis vides disertis
Scriptis vndiq; Bartolum nitentem,
Et magnas tibi gratias agentem.
Quo totus modo clarior reuixit.
Lætatur magis hac recentiore
Vita, quàm doluit priore adempta.
Quis vita hac probus & breui, & caduca
Aeternam renuat beatiorem?


IOSIPPI ERITREI POETAE

TVDERTINI DISTICON.

VITA breuis fuerat, dum Bartolus occidit: illi
Ex Lancelotto vita perennis erit.



REVERENDISSIMO AC EXCELLENTISSIMO D. FRANCISCO CANTVTIO SACRAE ROMANAE ROTAE AVDITORI.



Antonius Timotheius S.



ARTOLI vitam æstiuis proximis mensibus, Cimmeriis penè tenebris erutam ab iis maculis expurgauit Lancelottus tuus, quas scriptorum, non dicam ego culpa, sed probabilis potius error asperserat: quam tibi vni præ multis Reuerendissime Cantuti decentissime nuncupari debere multis nominibus iudicaui. Hanc (quoniam impetrare non potui, vel pro magna quæ mihi cũ eo intercedit familiaritate, vt bona venia prodire sineret in publicum, atq; in manus hominum deuenire) eripui ego

tandem penè ab inuito: quod furto proximum videri posse veritus essem, ni eam legum studiosis iure optimo deberi comperissem, idq; assiduis eorum efflagitationibus denegari sine manìfesta iniuria non posse certo deprehendissem. Verum cum vererer aliquando ne eidem ex hac re locus fortasse aliquis de me expostulandi relinqueretur; vt ablatæ rei repetendæ, ac recuperandæ omnis potestas adimatur, nullibi tutiorem consistendi locum, quam apud te, aptioremq; futurum credidi: & propterea eam ad te potissimum mittendam, & tuo nomini dicandam statui. Describuntur hic ingenium, mores, studiorum cursus, probitas, doctrina Bartoli; & deniq; quicquid ferè à curioso homine quæri de tãto viro potest, & fidelissima narratione, & perspicua breuitate explicatur: quæ omnia, vel ex eiusdem viri clarissimi monumentis, vel ex publica fide earum tabularum deprompta sunt, quæ cæteris omnibus fortasse ignota, apud gentiles suos dũtaxat seruata reperiuntur; ad viuum deniq; exprimitur ipse Bartolus Perusinus Ciuis, Iureconsultus, & Iureconsultorum omniũ quotquot sunt, quotque fuerunt sine controuersia Excellẽtissimus; à Iureconsulto pariter, & Excellentissimo, & Perusino. Id vero cui melius,

lius, quam & Perusino, & Iureconsulto, & Excellentissimo dicari putem, aut congruentius inscribi existimem? Exit igitur sub tuo patrocinio liber; qui si forte vt seruus fugitiuus ab authore in iudicium vocetur, se non seruum, cum Liber sit, & tenebras, & iniustum carcerem merito effugisse audacter confitebitur, neque fugitiuum illum esse, qui suo iure vtendo, apud te, non affinem solum, & amicum, sed iudicem etiam Vrbis consistere sit inuentus, constanter iure medio affirmabit. Quinimo caueat Lancelottus potius, ne illum Bartolus priuati diuturnioris carceris reum agat, & peragat. Subiicitur etiam huic defensio quædam Baldi non incongrue, vt qui viri, & animis coniuncti vixerunt, & ambo simul, coniunctimq; per hominum ora feruntur, ab eodem etiam pariter à falsis criminibus expurgati, defensiq; conspiciantur eodem libro. A me vero ita eum missum suscipias, vt is multis de causis tibi debitus, sit etiam signum veteris meæ in te obseruantiæ, idemque ingenuitatis, ac candoris præclari animi tui non vulgare monumentum: quod ad maiora, ac altiora euectus (quæ tua est constantia, ac magnanimitas) idem permanens, tenuiorum etiam amicorum memoriam non abieceris.

Quæ

Quæ egregij animi tui nobilis manſuetudo facit, vt ego, cæterique omnes, quos tuarum virtutum capit admiratio merito ſemper colant, colendumq; exiſtiment æterno tempore, teq; ad altiora ſemper aſcendentem iure optimo ſuſpiciant, & lætentur. Vale.

Peruſiæ pridie Non.Octob. M D LXXVI.

IOANNES PAVLVS LANCELOTTVS I. C.

BERNARDINO ALFANO I. C. S.





VAE nobis fuit aliquando causa vt literis ad præstantißimum virum Petrum Vbaldũ datis nomen acutißimi, atque illustrißimi I. C. Baldi de Vbaldis progenitoris sui, ac ciuis nostri à turpi, sed ineptißime iactata potiusquam inusta nota clarißime vindicarem: eadem mihi nunc est, vt ad te Bartoli vitam scribere adorsus mendacia quædam, quæ iam pridem de ipso circunferuntur, & inualuisse iam videntur refellenda, atq; penitus explodenda existimem. Debemus enim hoc Patriæ, debemus ciuibus nostris, debemus viris de posteris, atq; utroq; iure optime meritis, vt curemus ne per men-

dacissima deliria eorum memoriam turpiter inquinari permittamus, neuè claritatem eorum per quos nos quoq; aliqua ratione clari reddimur sinamus nostra negligentia infuscari. Accedit quod est admodum iucundum, eorum qui cum cõiunctissime vixeris, vt ego, tuq; fecimus, facturiq; videmur, vna etiam ad posteros trasmittatur memoria. quod vti tu de nobis Reportatis tuis editis fieri curasti, cur non item ego de te quacunq; saltem ratione curem? Et qua congruentiori, magisq; expedita ratione curem, quàm si vitam tritaui tui Bartoli tibi trinepoti suo inscribam, à quo eorum, quæ ad veritatem ipsarum rerum pertinent, facta mihi est copia? sed nec propterea minus amici studium probaueris, quod hæc ipsa tibi sunt notissima, nam cum ab omnibus fermè fuerint hactenus ignorata, dum per nos educuntur in apertum, & in lucem hominum, fit nescio quo pacto, vt non nihil diligẽtiæ & sedulitati quoq; nostræ deberi existimem: cum vt nostrates dicere consueuerunt, Rem se non sic habere, vel vt ita se quidem habeat, non esse tamen id manifestum ex æquo censeri debeat.

De

De patria Bartoli, & cur Sentinas à quibusdam appelletur.



ARTOLI patria, & origo est in Picenis; natus est enim in oppido Saxoferrato sub tempore Longobardorum extructo. Cum.n. Longobardi Sentinam ciuitatem demoliti essent, dederunt occasionem illius ruinæ vt duo nobilißima oppida conderentur, Fabrianum scilicet, & Saxoferratum, atque hinc est, vt Saxoferratenses oppidani Sentinates, quod à Sentina ducant originem, interdum à scriptoribus appellentur, & ipse Bartolus per antonomasiam Sentinas à quibusdam recentibus nuncupetur.

De parentibus, & fratribus eius.



ATVS est autē patre Francisco, vel (vt ex publicis instrumentis compertū est homines tūc locutos fuisse) Cicco Bonacursij, & matre nomine Sancta. anno à natiuitate Domini Iesu Christi Seruatoris 1313. habuitq;

fratres duos ortos eisdem parentibus, scilicet Petrum, & Bonacursium, quod ex testamento ipsius Bartoli, alijsq; monumentis haud dubio colligitur; Bonacursius autem vestigia fratris longo tamen interuallo secutus iuri ciuili operam dedit, atq; insignia iuris candidatis tradi solita Perusiæ de manu Bartoli accepit, extatq; adhuc eiusdem Bart. in insignium ipsorum collatione recitata oratio, quem credibile est multo amplius quàm Petrum dilexisse cum illum solum proprijs filijs certo casu hæredem substituerit, vt ex ipso Bartoli testamento apparet.

Bart. in l. 1. §. fi. ff. dot. prælег.

Quod falso à quibusdam scriptum reperitur Bartolum spurium fuisse, & quàm male fuerit perpensa eius dicta in l. Quidam cum filium. ff. de verb. oblig.



IQVET hinc quam allucinati sunt hi, qui Bartolum pudendis ortum natalibus asseuerare ausi fuerint, & quam parum accurate eius scripta ad Pauli responsum perpenderint: neque enim eo loco Bartolus inquit se vnum scilicet de expositis in ciuitate Venetiarum,

Bart. in l. quidã cum filium. ff. de verb. oblig.

rum, atq; edoctum à fratre Petro Pietatis & alij cuidam traditum eo pacto, vt recipiẽs receptum illum tanquam filium tractaret, in quem sensum videntur ab hominibus supine, atq; oscitanter legentibus hactenus eius verba recepta. Sed quod in prima pueritia magistrum habuit, qui vocabatur frater Petrus, & quod idem frater Petrus tempore, quo Bartolus ipse interpretabatur dictum responsum Pauli (hoc est annis, vt ego possum coniicere) post Bartoli pueritiam triginta & vltra, reperiebatur Venetijs mutato nomine; quia non amplius vocabatur frater Petrus de Asisio, sed frater Petrus Pietatis, sic dictus quia locum ibi erexerat, qui locus Pietatis vocabatur, vbi infantes expositi nutriebantur, & quod ipse vir venerabilis Petrus (vt vtamur ipsißimis verbis Bartoli) dixit sibi quod plures ex illis pueris expositis tradidißet hoc pacto, quod recipiens non aliter eos, quàm vt filios tractaret, ex qua narratione, & facti serie colligitur multipliciter, quod non potest ex ea inferri Bart. vel expositum vel spurium. Primo quidem non asserit Bartolus eundem fratrem Petrum domum, in quam expositi reci-

perentur

perentur erexisse Saxoferrati, sed Venetijs vbi nomen ex eo facto mutauit, nuncupatusq; est à Venetis FRATER PETRVS PIETATIS, at luce meridiana clarius constat Bartolũ, eiusq; fratrem Bonacursium Saxoferrati ex Francisco patre natum, quis autem expositos patrem, ac fratres ostendere posse asserat? Item ex his verbis cõstat eundem Fratrem Petrum ante profectionem Venetam nullam expositorum domum Saxoferrati extruxisse, sed tantum ꝙ Bartolum adhuc puerum primas literas edocuit, quod si Frater Petrus Bartolum puerũ (vt isti volunt) expositum alicui tanquam filium instituendum tradidisset, certe Bartolus, quem ex his quæ eo loco scripsit constat fuisse gratissimum, non minus Fratris Petri, quã eius, qui illum in filium suscepisset, meminisset, cui quod ius ciuile Perusiæ primum, deinde Bononiæ didicisset, soli debuisset, neq; de eo tacuisset. demum ita de eo facto loquitur, vt appareat dilucide se non eius generis fuisse puerum; inquit enim QVOD PLVRES EX ILLIS PVERIS, ex illis igitur expositis scilicet non sui similibus, sed quid in ea argumenta conquirimus, & colligimus, in qua publica

ipsa

ipsa & plura extant documenta, quæ infra suis locis oportune subijcientur?

Quibus præceptoribus vsus fuit.



Svs fuit in prima pueritia præceptore venerabili viro F. Petro Assisiate, à quo primas literas didicit sub quo tantum profecit, vt ætatis eius anno quartodecimo iuri ciuili audiēdo idoneus redditus fuerit, In iure autem cæsareo perdiscendo vsus fuit opera Cyni Pistoriēsis qui tū Perusiæ profitebatur: qui quidē cum plura excitaret, eaq; indeterminata relinqueret multū ingenio Bartoli dicitur profuisse, quòd excitata subtiliter mente agitando adolescens terminandis, & explicādis difficultatibus assuescebat. Audiuit & Oldradū Laudensem, Raynerium Furliuiensem, Franciscum Tigrinum, quem etiam postmodum habuit profitendo collegā, & Iac. Butrigariū Bononiēsem: in Geometricis autē præceptorē habuit magnum Theologum F. Guidum Perusinum; in perdiscendis vero Hebræis literis, quibus ille imbutus fuit, cuius opera usus fuerit non satis constat.

Bart. in l. quidā cum filium. ff. de verb. oblig. & in. l. qui Romæ. §. callimachus. & in l. quod Nerua. ff. depo. & in Authent. hoc locum. C. si sec. nupt. mul. & in l. sub prętextu. C. de transact.

Barto. in proemio tractatus Tiberiadis.

Bart. in tract. de insig. & arm.

Vbi

Vbi, & quo tempore, & quibus promouentibus Bart. lauream sumpserit.



ONSECVTVS *est autem de more lauream, cooptatusq; est inter consultos iuris ciuilis Bononiæ postquam aliquandiu ibi studijs operam dedisset anno à natiuitate Dominica* M CCCXXXIIII. *Quarto Id. Nouemb. Iacobo Butrigario promouente, & Ioanne Calderino vices agente Archidiaconi Bonon. ad cuius iurisdictionē Bononiæ huiusmodi actus explicare pertinet, vt subiectæ patentes, & publicæ literæ ex originali publico, & authentico quod Perusiæ asseruatur desumptæ, planū faciunt, in quibus quædam sunt animaduersione non indigna. Ac primum quidem quod in eis præcellentium quorundam antiquorum iurisconsultorum nomina leguntur, quorum tam Bartolus ipse, quàm alij in interpretationibus suis meminerunt, vt est Iacobus de Beluiso, Tadeus de Pepulis, Raynerius de Forliuio. deinde quod Bartolus vnicum habuit: quem appellant Promotorem; cum tamen hodie videatur inoleuisse consuetudo, vt quis*

duobus

duobus ſaltem, ſed ſæpe pluribus promouentibus lauream adipiſcatur; deinde quod ipſi Calderino Vicario exhibitus fuit per dies quadraginta quatuor ante laureæ conſequendæ diem aduenientem, cum tamen hodie ex more Gymnaſiorum totius Italiæ pridie quam quis in album iuris conſultorum deſcribēdus ſit ſiſti, vel præſentari conſueuerit; Illud quoq; videtur dignum animaduerſione, quod præſentes vicem abſentium in examinando, & approbando Bartolo iuris candidato videntur geßiſſe. Poſtremo quod in inſigniū datione, & collatione libri tantum, Bireti, Oſculi, Benedictionis facta eſt mentio, aßignationis loci, & chathedræ, & immißionis anuli eſt omiſſa, ſunt qui affirment, ipſius Bartoli manu ſcriptum vidiſſe ſe, illi in puncta, vti appellamus recitāda aßignatas fuiſſe à Iacobo quidem de Beluiſo legem illud. ff. quod metus cauſa, à Petro vero de Cornitis legem primam .C. quemad. teſta. aper. quod quidē ſubiectæ literæ minime aperiūt, licet hodie ex more Gymnaſij Peruſini, & hoc ipſum fuerit inſerendū.

Literæ Collegii Iuriſconſultorum Bononienſium Bartolo redditæ poſt adeptam Lauream.


N Christi nomine Amen. Vniuersis iustis laboribus digna tribuenda sunt præmia: Quoniam iuxta moralem sentẽtiam Caßiodori iustum est, vt vnicuiq; proficiat labor suus, vt sicut expendẽda cognoscit incommoda, sic rebus perfectis consequatur augmenta, sed illorum discretio prouida est potißimis magnificanda muneribus, & altiori suffragio promouenda, qui per sapientiæ semitam ambulantes sub difficilibus iuris, & studijs literarum perfectionem prudentiæ, ac scientiarũ palmã victoriosi, ac vigiles susceperũt. Nam ex ipsorum virtutibus, salubribusq; consilijs Reipublicæ status gubernatur vtiliter. Et cũ nutriant præmiorum exempla virtutes, reliqui ad prudentiam, & virtutem perfectius disponuntur. Cum idcirco vir prouidus D. Bartolus Cecchi Bonacursi de Saxoferrato fuerit præsentatus per sapientem virum D. Iacobum de Butrigarijs legum excellentem doctorem, coram prudente viro D. Ioanne Calderini decretorum doctore Vicario Reuerendi viri domini Raimundi Bernardi de sancta Archemia Archidiacono Bonon. die

decimoseptimo mensis Septēbris proxime præteriti examinandus, & approbandus in legibus propter Doctoratus officium in ipsis legibus assumendum. Et tam per ipsum Vicariū, quàm per viros prudentes D. Philippum de Foscararijs, D. Iacobum de Beluisio, D. Petrum de Cornitis, D. Franciscum de Liazzarijs suo nomine, ac nomine Domini Maccagnani de Azzeguidis, & D. Thadæi de Pepulis, ex commissione sibi vt dixit ab eis facta. D. Rainerium de Forliuio, D. Petrū de Bompetris pro se ac nomine D. Thomatis de Formaglinis, ex commissione sibi, vt dixit ab eo facta, D. Laurentium, & D. Bartholomeum de Butrigalis, & D. Philippum de Formaglinis omnes legum doctores; Quos idem D. Vicarius pro examinatione ipsius domini Bartoli vocari, & congregari mandauit. eodem D. Bartolo probato, & examinato prudenter, ac ipsius scientia, & experientia bonæ vitæ cognitis, & acceptis, & rationabiliter approbatis prout post examinationē tam priuatā, quàm publicam facti experientia demonstrauit. Idcirco præfatus D. Ioannes Vicarius authoritate sibi hac parte concessa de consensu docto-

rum omnium præfatorum in illius nomine, ac virtute patentis, à quo dignitas omnis, & sapientia causantur eundem D. Bartolum asseruit, approbauit, & pronunciauit idoneum, dignum, & benemeritum, ad habendũ, tractandum, & exercendum doctoratus officiũ in iure ciuili, & legibus supradictis, & ex nũc authoritate qua supra ipsi D. Bartolo legendi, docendi, & doctorandi Bononiæ, & vbiq; de cætero plenam licentiam tribuit, & liberam facultatem. Ad quorum euidentiam latiorẽ priuilegiũ præsens publica voluit subscriptione formari, & pendẽti sigillo Archidiaconatus Bononien. roborari mandauit. Qui D. Bartolus tunc, & immediate eiusdem doctoratus recepta licentia librum doctoralem sibi humiliter petijt exhiberi, à memorato D. Iacobo de Butrigarijs legum doctore. Quare præfatus D. Iacobus ipsi D. Bartolo, hac promotione dignissimo librum tradidit doctoralẽ, & suo capiti Biretum imposuit cũ pacis osculo, & solita benedictione doctoris. Dat. & Accep. fuit Bononiæ in maiori, & cathedrali Ecclesia sancti Petr. Anno Dominicæ Natiuitatis Millesimo Tricentesimo tricesimo quarto,

quarto, indictione secunda, die decima Nouemb. præsentibus sapientibus & discretis viris D. Rodulpho de Stracfore de Anglia scolare Bononien. in iure ciuili.D.Ioanne de Pacibus Canonico Bononien. Ioanne Petri de Casola notario, Francisco Marchi Alberti Benaxen. notario, Iacobino Venturini de Floranis notario Bononien. & alijs pluribus testibus ad prædicta, &c.

Ego Iacobinus Petri Angelelli Bonon. publicus imperiali authoritate notarius, & nunc dicti Domini Archidiacon. scriba præmissis omnibus tam priuate, quàm publice gestis interfui, & de prædictorum consensu scripsi, & publicaui.

Post finitum cursum studiorum quid fuerit illi agere institutum.



VAM primum autem iureconsultus renuntiatus est, non ad interpratandi, sed ius dicendi munus se contulit: certanè animi deliberatione, an occasione potius incertũ. Fuit itaq; Assessor primo Tuderti (est aũt hæc insignis in Vmbria Ciuitas) deinde & Pisis teste Baldo


Bart.in l.1.§.fi. ff:de verb.obli. Bal.in l.1.num. 39.C. qui accu. non poss.

„ do, Cuius verba libet hic aſcribere. Barto-
„ lus fuit homo multum inhærēs pratica, & fuit
„ Aſſeſſor primo Tuderti, poſtea Piſis vbi tandē
„ legere incepit, & deinde venit ad Ciuitatem
„ Peruſiæ, vbi legēdo optimus factus eſt. Quod igitur Piſis aſſideret, vbi Gymnaſiū publicū tunc florebat, occaſionem illi dedit, vt exacto aſſidendi officio munus publice interpratandi iuris aſſumeret, quo fit vt falſus omnino ſit rumor, qui varius, nec vllo certo autore de ipſo emanauit: aiunt.n. nonnullii illum dum Tuderti aſſeſſorem ageret, reum quendam criminis delatum tam acriter torſiſſe, quod iuuenē conſpiceret, & robuſtum exiſtimaret, vt non multo poſt torturam, mortuus is fuerit. Alij quod cum Bononiæ latrunculator eſſet, atq; in peruestiganda legis ſententia allucinatus immerentem furca ſuſpēdiſſet, propterea q; male audiret, rubore ſuffuſum, atq; infamia rei percitum ſeceſſiſſe, atq; in ſeceſſu vehemētius iuri ciuili incubuiſſe, & ex inde maximum iuris conſultum euaſiſſe: quo nihil confingi, excogitariuè potuit ineptius, & ab eruditione, ingenio, iudicio, prudentia, & religione tanti viri alienius; cum pauci, aut forte nullus omnino

nino ad summum doctrinæ fastigium citius ipso Bartolo peruenerit: quem cõstat annum agentẽ vigesimum publice maxima omnium admiratione Bononiæ disputasse, & sanè in eo maximorum virorum, quàm mediocrium, atq; infimorum deterior videri potest conditio: quod de illis vulgo, atq; imperiti homines licentius ~~mentiri consueuerunt~~: dum laudari sine exceptione patimur neminem.

Bar. in d. l. quidã consilium.

Apud quos publice professus fuerit.



Isis igitur interpretãdi munus, ac prouinciam annos natus vigesimumsextum exorsus, quantus futurus esset iurisconsultus primo fœtu satis planum fecit; commentum enim tunc edidit ad Pauli responsum difficile, atq; implicatum mira subtilitate, atq; rerũ copia refertũ; edidit & plures disputationes dignissimas tanto uiro; habuit autem ibi in interpretando collegam Foroliuiensem, eundẽq; subinuidentẽ, & tam aperte detrahentem; vt studio Bartoli impugnandi quedam aliquando erudito viro indigna literis mandauerit:

Bart. in l. interdum. §. fin. ff. de verb. oblig. Iaſ. in l. omnes populi in repe. Picinenſi. ff. de iuſt. & iure.

habuit

habuit in eodē munere collegam Signorolum de Homodeis iureconſultum eximium, ac notæ excellentiæ; Piſis cum annis vndecim moratus eſſet Peruſiam fuit accitus, vbi tam magnam eminentis doctrinæ ſibi in vniuerſo orbe opinionem, ac famam comparauit, vt magnum illum commentatorem omnes appellarent, Gymnaſiumq; Peruſinum omnium reddiderit florentiſſimum.

Paul. de Caſt. in l. in teſtamento C. de imp. & alijs ſubſt.

Quod eum Peruſini, & fratrem Bonacurſium Ciuitatem donauerunt.




AMA itaque, ac gloria Bartoli vbique locorum quotidie magis inualeſcente factum eſt, vt & alia Gymnaſia maiore ſibi propoſito honorario, atq; priuilegijs amplioribus illum ſollicitarent, & ſibi quiſq; illum aſcire conaretur; Vnde Gymnaſio Peruſino prepoſiti (ſtudij ſapientes appellant) quantum ornamenti Ciuitati, ac Gymnaſio ſuo ex clariſſimi viri diſceſſu detractum iretur reputãtes, ac facile intelligentes, ipſum retinendum curauerunt, & non petentem vnà cum Bona-

curſio

cursio fratre, & omnium bonorum socio, atq; eximio iureconsulto honorificis quibusdam conditionibus, ac prærogatiuis ciuitate donauerunt, vt ex ipsorum sapientum subiectis precibus apparet, in quibus animaduersione dignum est quantum momenti habeat temporum diuersitas ad rerum mutationem; legitur enim in his derogatum fuisse iuri municipali Perusino, quo cauebatur ciuem publice in Gymnasio ius profiteri non posse, cum nunc, & multis annis, & forte ab ipso Bartolo nemo vnquam præterquam Perusini ciues ius ciuile publice professus fuerit, vt credatur iam quasi quadam impediente præscriptione aduenis interpretibus in nostro Gymnasio, nullum patere locum.

Preces Sapientum Gymnasij Perusini, quibus petunt, vt Bart. & Bonacursius frater Ciuitate donentur, atque alia inde secuta.



N NOMINE *Domini Amen. Anno Domini Millesimo Trecentesimo quadragesimo octauo, Indictione prima tempore Domini Clementis Pape Sexti, die vigesimopri-*

mo mensis Octobris: Conuocato, & cohordinato publico, & generali consilio dominorum priorum artium Ciuitatis Perusiæ numero omnes præsentes, & in concordia, & Camerarij artium dictæ Ciuitatis numero viginti octo in palatio dominorum Priorum artium prædictorum existentium ad sonum campanæ vocemq; præconis de mandato domini Herculani de Scoctis de Senis honorabilis Potestatis Ciuitatis Perusij, & dictorum dominorũ Priorum. In quo quidem consilio Bindolus Munaldi de Perusio prior, de licentia, consensu, & voluntate, & mandato Iohanelli Vecchij prioris priorum, & omnium aliorum priorum suorum sociorum proposuit infrascriptas in formam supplicationis, super quibus omnibus petijt sibi, & dictis suis socijs salubre, & vtile consilium exhiberi. Quarum petitionum tenor sequitur in hac forma.

In primis primo supplicatur nobis dominis Prioribus, & Camerarijs artium Ciuitatis Perusij pro parte filiorum, & nepotum domini Munaldi Pelati della Serra &c. Secundo vero supplicationis tenor sequitur in hac forma.

Suppli-

Supplicatur vobis dominis Prioribus artium populi Perusij pro parte Sapientũ studij Perusini. Quod cũ expediat huic Ciuitati eam replere bonis hominibus; & cum studium, & persona doctorum regentium dictum studium sit causa repletionis, & exaltationis huius Ciuitatis, & nunc ad præsens habeamus in Ciuitate Dominum Bartolum de Saxoferrato excellentissimum legum doctorem, qui huic communi per plures annos seruiuit, vt omnibus notum est. Et idẽ Dominus Bartolus sit nuper ad alia studia vocatus cum maiori salario quam hic habeat, & cum maioribus priuilegijs, & prærogatiuis, vt nobis sapientibus studij notum est. Ad hoc vt ipsum Dominum Bartolum habere possimus ad seruitium huius communis, & populi, placeat vobis Prioribus cum consilio Camerariorum ex vigore, & potestate arbitrij vobis concessi ab adunantia generali, ex arbitrio, quod habetis super negocijs studij Perusini, & omni modo, iure quibus melius potestus prouidere, & ordinare taliter cum effectu quod dictus D. Bartolus, & D. Bonacursius eius frater legum doctores filij quondã Cecchi Bonacursi de Saxo-

ferrato de cætero sint, & esse intelligatur veri legitimi, & originarij Ciues, & populares istius Ciuitatis, & populi Perusij, ipsi, & eorũ filij, & posteri in perpetuum; & quod tanquã veri, legitimi, & originarij ciues tractentur in omnibus, & pro his rebus, quas in Ciuitate, & Communitate Perusiæ eos habere contigerit teneantur soluere datas, & collectas quæ vniuersaliter imponuntur omnibus Perusinis: ad præstantias vero, & ad alia quæ nõ sic uniuersaliter imponuntur nullatenus teneantur. Et quod non obstante, quod dictus D. Bartolus sit ciuis potuerit in præteritum, & possit in futurum eligi, & conduci ad lecturam in studio Perusino, promissiones, & salaria sibi promissa, & promittenda recipere cũ effectu statuto communis Perus. quod in contrarium loquitur, vel aliquo alio non obstante. quod statutum, & omne aliud contradicens quantum ad prædicta pro suspenso habeatur: & quod faciatis sindicum ad conducendum eum cum salario consueto pro tempore quo vobis videbitur dominis Prioribus, & ad sedem, ad quã vos domini Priores ipsum duxeritis deputandum, & accipiendum: eos in Ciues, vt dictum

est,

est, & ad eisdem promittendum, & promissiones ab eisdem recipiẽdum de prædictis cum omnibus, & singulis clausulis oportunis.

In quo quidem consilio recensitis supplicationibus antedictis Mateolus Sartoli camerarius orforum, vnus ex dictis camerariis in dicto consilio existens, surgens ad locum arrengheriæ consuetum consulendo dixit, & consuluit dictas supplicationes in qualibet earum fore admittendas, & fieri debere omnia, & singula in eis contenta prout in eis continetur, & supradictos in ipsis petitionibus siue supplicationibus nominatos fore tractandos ex nunc vt Ciues Perusini, prout continetur in dictis supplicationibus, & qualibet earũ hoc addito, quod præfatus D. Bartolus, & D. Bonacursius debeant sibi facere libram fieri, & se allibrari in dicta Ciuitate in quingentis libris ad grossam acsi haberent bona valoris, & extimationis quingentorum librarum ad grossam in dicta Ciuitate Perusiæ, & eius districtu. Et officiales armarij librorum dicti communis teneantur, ac debeãt allibrare omnes prædictos in catastro communis Perusij in libris, & secũdum superius denotata ad requisitionem

nem prædictorum, vel alicuius eorum pœna quingentarũ librarum denariorũ. Ita q̃ omnino ſint aſcripti in dicto cataſtro, & allibrati quemadmodum aſcripti, & allibrati ſunt alij Ciues Perusini. In quo quidem conſilio ſolenniter facto, & miſſo partito per ſupradictum Bindolum Munaldi Priorem ſupradictũ de licentia, & mandato ſupradicti Iohanelli Prioris Priorum, & aliorum Priorum ſuorum ſociorum de leuando ad ſedendum ſecundum dictum, & conſilium redditum per prædictum Mathiolũ placuit omnibus in dicto conſilio exiſtẽtib. et toti d. cõſilio ad dictũ, & ſecundũ dictum dicti Mathioli, & ſic eſt in omnibus, & per omnia refirmatum.

Eodem Milleſimo, Indictione, Papa, & die xxvij. menſis prædicti actum Perusij in palatio Poteſtatis præſentibus infraſcrip. Petro Gaudini, & Luca Pietij de Peruſio teſtibus. Conuocato, & coadunato publico, & generali conſilio maiori Ciuitatis Perusij in palatio D. Poteſtatis vbi D. Poteſtas iura reddere conſueuit ad ſonum campanæ, vocemq́; præconum more ſolito de mandato D. Herculani de Scoctis de Senis honorabilis Poteſtatis Ciuitatis

tatis Perusij, & dominorum Priorum artiũ Ciuitatis dicta. In quo consilio dicti domini Priores omnes decem præsentes, & in concordia unà cum dicto consilio, & consiliarijs, & domino Iacobo Iudice, & Vicario dicti domini Potestatis, & dictum consilium unà cum dictis dominis Prioribus, & domino Iacobo Iudice, & Vicario supradicto, & dictus dominus Iacobus Iudex, & Vicarius supradictus unà cum dictis dominis Prioribus, et consilio, et consiliarijs omnes simul præsentes, et in concordia nemine discordante eorum nomine, et nomine dicti communis fecerũt, constituerunt, et creauerunt prout de iure, et facto melius potuerunt Tinolum Ceccholi Andreæ de Perusio Priorem portæ S. Susannæ præsentẽ, et acceptantem eorum, et dicti communis verum, et legitimum sindicum, et procuratorem, actorem, factorem, et nuntium specialem ad accipiendum filios, et nepotes D. Munaldi Pelati della Serra, et eorum posteros. D. Bartolum, et D. Bonacursium filios quõdam Cecchi Bonacursij de Saxoferrato secũdum formam eorum petitionis, supplicationis, et reformationis Berouardum, Neriũ,

An-

Angelum, & Bartolomeum filios quondam Vannis Berouardi, domini Raneríj de Sartiano in Ciues Perusinos secundum formam eorum supplicationis, & reformationis, & ad recipiendum ab eis, & quolibet prædictorum promissionem, & obligationem soluere datas, & collectas, et alias facere factiones, quemad modũ alíj originaríj Ciues Ciuitatis Perusíj: Et generaliter ad omnia alia, & singula quæ in eorum supplicationibus, siue ordinationibus factis, vel reformatis: de supradictis manu mei notaríj infrascripti promissionem accipiend. & obligationem faciend. promittentes quicquid per dictum eorum, & dicti communis sindicum, & procuratorem factum, gestum, seu procuratum fuerit, ratum, & firmum habere, atq; tenere volentes, & dictum eorum sindicum, & procuratorem releuare ab omni onere satisdationis, fideiubendo pro eo sub hypotheca, & obligatione omniũ bonorum dicti communis.

*E*ODEM *Millesimo, Indictione, & die penultima mensis Octobris actum Perusíj in palatio canonicæ sancti Laurẽtíj præsentibus ser Angelo, ser Francisci, & ser Mario Cic-*

coli

coli de Perusio, & domino Francisco Tigrini de Pisis legum doctore testibus rogatis, & vocatis. Cum per dominos priores artium Ciuitatis Perusij vnà cum vigintiocto Camerarijs artium dictæ Ciuitatis, & per dictos dominos Camerarios vnà cum dictis dominis Prioribus auctoritate, & arbitrio quam habent ab adunantia generali dictæ Ciuitatis fuerit ordinatum, prouisum, & refirmatum, quod dominus Bart. & dominus Bonacursius eius frater legum doctores filij quondam Cecchi Bonacursij de Saxoferrato, ipsi, eorum filij, & posteri in perpetuum recipiantur, & recepti fuerint in Ciues Perusinos, & tanquam veri, & originarij Ciues in omnibus, et per omnia tractari, & haberi debeant in dicta Ciuitate secundum modum, & formã supplicationis, siue petitionis, ut in dicta reformatione latius patet manu mei notarij infrascripti, cuius tenor superius denotatur, & scriptum est, vt supra patet. Idcirco Tinolus Ceccholi Andreæ de Perusio, sindicus communis Perusij ad infrascripta specialiter constitutus, vt de suo sindicatu latius patet manu mei notarij infrascripti obligando dictum cõmune, & omnia eius

bona sindicario nomine dicti communis dominum Bart. Cecchi Bonacursij prædictum, præsentem, et acceptantem, et dominum Bonacursium Cecchi domini Bonacursij licet absentem recepit, et acceptauit in Ciues Perusinos, ac etiã promisit vice, et nomine dicti communis prædictos dominum Bartolum, et dominum Bonacursium habere, et tractare, et quod habebuntur, et tractabũtur in dicta Ciuitate in omnibus, et ab omnibus, et maxime à quibuscunq; officialibus dicti communis pro veris, et caris, et originarijs Ciuibus Perusinis, et prout tractantur, et habentur alij veri originarij Ciues in omnibus, et per omnia, et prout in dicta supplicatione, et reformatione plenius, et latius continetur cum pactis, et conditionibus in ipsa supplicatione, et reformatione contentis supra expressis, et expecificatis. et quod officiales armarij Ciuitatis Perusij apponi, et ascribi facient nomina eorum, et libram, et catastrum inter alios Ciues Perusinos, et in catastro, et libra aliorum Ciuium originariorum ad petitionem dictorum domini Bartoli, et domini Bonacursij, vel alterius eorum in porta, et parocchia vbi apponi, et

ascribi

ascribi voluerint. Et hoc facit dictus sindicus pro eo, quia dictus dominus Bartolus pro se, suosq; hæredes, & pro dicto domino Bonacursio, & suis hæredibus, pro quo promisit de rato, & se facturum, & curaturum ita, & taliter cum effectu, quod prædictus dominus Bonacursius prædicta acceptabit, & ista habebit rata, & firma, & non veniet contra sub infrascripta pœna, promisit, & conuenit dicto sindico recipienti, & stipulanti pro dicto communi Perusij, & vice, & nomine dicti communis acquirere bona in Ciuitate, & comitatu Perusij & libram sibi facere fieri in armario communis Perusij secundum formam dictæ reformationis, & pro ipsa libra, & catastro datas, & collectas soluere, & alia facere factiones, & omnia, & singula alia facere ad quæ tenentur alij Ciues originarij Perusini saluis pactis, & conditionibus in prædicta supplicatione, & reformatione contentis, renuntiantes dictæ partes ad inuicē vna pars alteri, & altera alteri except. non fact. non promiss. omnium, & singulorum supradictorum, & infrascriptorum, & rei sic non gestæ, uel aliter gestæ, exceptioni doli mali, metus con-

tradict. indebit. & sine causa, seu iniusta causa, & omni alij legum, & iuris auxilio consuetudini, & stat. quod non opponet, nec opponi faciet per se, vel alium, & damna, & expensa, ac interesse altera dictarum partium sustinuerit reficere promiserunt. Quæ omnia, & singula vna pars alteri, & altera alteri promiserunt inter se ad inuicem attendere, & obseruare, & in nullo contrafacere, vel venire per se, vel alium, sub pœna, & ad pœnam x. floren. auri, quam pœnam vna pars alteri, & altera alteri promiserunt per stipulationem dare, altera alteri facere confeßionem coram Iudice communis Perusij ad pet. partis petent.

Et ego Maffeus Petri de Perusio prædictus publicus Imperiali auctoritate Not. & nunc Notarius supradictorum dominorum Priorum prædictis omnibus interfui, & vt supra legitur, rogatus scripsi, & publicaui.

De

De legatione eius ad Carolum Romanorum Imperatorem, & qualiter ab eo exceptus fuerit.

DONATVS *Ciuitatè Perusina nō modo interpretādi onus est prosecutus, verum etiam muneribus, & honoribus ciuilibus quasi originarius fungi cepit. Vnde eum populus rebus ita exigentibus vnà cum alijs nobilibus Ciuibus ad Carolum Quartum Romanorū Imperatorem legatum destinauit, quæ legatio non minus fuit Ciuitati proficua, quam ipsi Bartolo honorifica, & gloriosa. Nam Gymnasium Perusinū antea legitima præscriptione munitum, & literis Apostolicis Clemente Quinto sedente roboratum imperiali, & diplomate fulciuit, aliaq; plura ad commodum reipub. Perusinæ impetrauit, quæ aliquando ipso teste Bartolo sub aurea Bulla aßeruabantur, quo loco lapidi qua parte palatium plateā respicit leguntur incisa hæc carmina.*

Bart. in extrauag. ad reprimendū in verbo reges.

Carolus Imperator Perusini status amator
Has gratias egit, quas lapis iste tegit.

Ipsum autem Bartolum legatum inter suos

con-

Bart. in tract. de insig. & armis in princ.

consiliarios cooptauit, atq; gentilitia insignia: quibus adhuc eius posteri vtuntur, nempe leonem rubeum duas gerentem caudas in campo aurei, siue crocei coloris, indulsitq́, vt ipse, eiusq́, liberi, qui iuris scientiam profiterentur possent scolaribus sui auditorij veniam ætatis concedere, & eosdem natalibus restituere, vt ex tenore subiectarum literarum apparet, in quibus si quis forte parcum Imperatorem illũ in concedendo præstantissimo, ac doctissimo omnium viro existimauerit, ego contra imprudentissime profusos principes nostrorum temporum, qui longe plura, ac maiora scurris, et nebulonibus suis concedere consueuerũt.

Priuilegium Bartolo ab Imperatore concessum.



AROLVS Quartus Diuina fauente clementia Roman. Imperator semper Augustus, et Boemiæ Rex Honorabili Bartolo legum Doctori Ciui Perusino consiliario, et familiari domestico commensali, ac deuoto suo dilecto gratiam suam, et omne bonum. litera-

rum

rum ſcientia morum decor, aliaq́; laudabilia teſtimonia noſtram celſitudinem inducunt, ut perſonam tuam congruis proſequamur fauoribus, & condignis honoribus extollamus. Te igitur occaſione præmiſſorum in Cõſiliarium, & familiarem domeſticum Commenſalem noſtrum aſſumimus, & conſiliariorum, & familiarium noſtrorũ domeſticorum Commenſalium cetui, & numero præſentibus aggregamus decernẽtes, ac præſenti imperiali ſancientes edicto, quod tu omnibus iuribus, gratijs, libertatibus, & immunitatibus ſine qua vis difficultate vtaris, & gaudeas, quibus cæteri Cõſiliarij, & familiares noſtri domeſtici Commenſales hactenus facti ſunt, & continuo potiuntur. Mandamus igitur vniuerſis, & ſingulis Principibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, & cæteris noſtri, & ſacri Imperij fidelibus ad quos præſentes peruenerint. quatenus te Conſiliarium, & familiarem noſtrum domeſticnm Commenſalem, dum, & quoties ad ipſos perueneris, et ipſos pro tuis neceſsitatibus duxeris requirendas ad honorem noſtræ maieſtatis promoueant, et gratis fauoribus proſequantur præſentium ſub imperialis maieſtatis

tis

tis nostræ sigillo testimonio literarum. Datum Pisis Anno Domini Millesimo Tricentesimo quinquagesimo quinto, viij Indictione, xiiij Cal. Iunij, Regnorum nostrorum Anno nono, Imperij vero primo.


In Nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis fœliciter Amen. Carolus Quartus Diuina fauente clementia Roman. Imperator semper Augustus, Boemiæ Rex. Honorabili Bartolo de Saxoferrato legum doctori Ciui Perusij Consiliario familiari, domestico, & deuoto suo dilecto gratiam suam, & omne bonum. Sinceræ tuæ deuotionis affectus, quem ad Imperatoriam maiestatem, & sacrum Romanum geris Imperium, ac literarũ scientia, cæteraq; virtutes, quibus præditus esse dignosceris rationabiliter promerentur, vt personam tuam Imperiali fauore, & gratia prosequamur. Hinc est, quod promissorum intuitu gratiam tibi volentes facere de innata nobis clementia specialem, auctoritate imperiali, & de plenitudine potestatis nostræ, tibi, & filijs tuis, cæterisq; legitimis descendẽtibus legum dumtaxat doctoribus gratiose concedimus

mus, & liberam damus tenore præsentium, ac omnimodam ex certa scientia potestatem, vt minoribus vigintiquinq; annis, qui tamen ætatem insertam legibus attigerunt, seu attigerint seruata forma ipsis legibus præfinita authoritate nostra ætatis veniam concedere valeatis; volentes, & edicto præsenti imperiali firmiter sancientes, quod talis concessio per te, vel dictos tuos filios, & descendentes legum doctores facti, vel fiendi vigorem, & effectus illos obtineat quos si per nostram imperialem facta esset celsitudinē legibus obtineret: Dantes insuper tibi, & prædictis tuis descendentibus, videlicet legitimis, & legum doctoribus plenam, & liberam potestatem scolares, seu studentes studij Perusini, qui de tuo, vel ipsorum dumtaxat auditorio fuerint; videlicet bastardos, spurios, manzeres, seu notos, seu ex quocunque de prauato coitu procreatos, filijs illustrium spectabilium, & procerum dumtaxat exceptis legitimandi, natalibus restituendi, & ad legitima iura dignitates, & honores reducendi, & ad successiones rerum, & bonorum vassallagiorum feudorum,

& aliorum etiam paternorum, nec non agnatorum ex testamento, & ab intestato sine praeiudicio legitimorum filiorum dumtaxat habilitandi omnemque talis genituræ, in eis maculam abstergendi, ac si ex legitimo fuissent matrimonio procreati, & alia omnia, & singula in huiusmodi oportuna, etiam si speciale mandatum exigent faciendi, non obstantibus quibuscunque legibus positis sub titulo. C. de naturalibus liberis, & in authen. quib. modis naturales efficiantur sui, & quibus modis naturales efficiantur legitimi, & quibuscunque alijs iuribus etiam si expressam de ijs, vel eorum aliquo necesse foret in præsentibus fieri mentionem. Quibus omnibus, & singulis quo ad præmissa ex certa scientia derogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ maiestatis infringere, vel ei ausu temerario contrauenire sub pœna quinquaginta marcarum auri puri, quas contrafaciens toties quoties contrafecerit senserit eo ipso irremißibiliter incurrisse medietate pœnæ huiusmodi nostri erarij, seu fisci imperialis, altera vero vestris vsibus

bus applicanda. Signum Sereniſsimi Principis, & Domini Domini Caroli Quarti Romanorum Imperatoris inuictiſsimi, & glorioſiſsimi Boemiæ Regis teſtes huius rei ſunt venerabiles. . . . .

. . . .



Insignia Bartolo, & eius posteris à Carolo IIII. Imperatore concessa.



De

De vxore eius.



Xorem duxit admodum iuuenis; constat enim ex testamento illum natum annos quadraginta tres sex filios suscepisse, atque ex his filias tres collocasse, quæ res illorum falsam probat esse sententiam, qui rem vxoriam studijs esse impedimento contendunt, in ea autem ducenda vir omnium non solum eruditissimus, verum etiam prudentissimus præceptiones secutus fuit diuinorum eloquiorum, quorum semper fuerat studiosissimus. Pondus (inquiunt) super se tollit, qui honestiori se communicat, & ditiori te ne socius fueris: quamuis enim ob eminentem in iure ciuili scientiam maximã sibi apud omnes comparatam gloriam, nobilissimas quasq;, diuitesq́, sibi fœminas matrimonio iungere facile ei fuisset: fuit tamen mediocritate contentus; duxit enim vxorem D. Pellinam Perusinam Ciuem, ex Bouarinorum, siue (vt tunc appellabant) Bouarellorum familia admodum quidem illam antiquam, atq; honestissimam semper habitam; sed nec suprema in Ciuitate nobilitatis, nec præceteris diuite, vt intelligas

Eccles. cap. XIIII.

illam

illam vxorem ducere voluisse, & vitæ sociam non dominam: quam vnicam etiam unice dilexit, eamq; testamento suo legatis non pœnitendis honestauit.

De liberis ab eo susceptis, fratribus, & testamento eius.



E liberis ab eo susceptis non aliunde clarius petenda est fides, quã ab eius testamento, quamquã nec ex eo de omnibus constare potest: condidit enim illud firma vtens valetudine superuixitq; triennio: quo spatio temporis filiorum numerum facile augere potuit; constat autem testamento ipso filios masculos duos suscepisse, quorum primũ paterno nomine Franciscum appellauit, Aloysium alterum, quos & vniuersales hæredes instituit: filias autem numero quatuor, videlicet Sanctam, maternum referentem nomen, Paulam, Franciscã, & Nellam; fratres autem eodem testamento constat habuisse duos, Bonacursium iure consultum, & Petrum, de quibus propterea mentionem faciendam duximus quod id ipsum ad

Bar. in l. j. §. fin. ff. de do. præleg.

ad intelligentiam testamenti videtur pertinere, cuius tenorem subijciēdum esse rati sumus, quod doctißimi, ac prudentißimi, optimiq; viri suprema dispositio, alijs exemplo esse poterit.

Testamenti exemplum.



N nomine Domini Amen. Anno Domini Millesimo Tricentesimo quinquagesimo sexto. Indictione nona, Tempore Domini Innocentij Papæ Sexti, Die xiiij. mensis Maij. Actum Perusiæ in loco Sancti Francisci ordinis minorum, Præsentibus religiosis viris fratribus infrascriptis dicti ordinis. s. Magistro Ioanne Iac. de Spello sacræ Theologiæ magistro, Luca Ioannis de Beneuento, Vgolino Ioannis de monte, Matheo Ceccoli de Perusio, Cagno Raynaldi de Diruto, Thomasso Ranucoli de Marsciano, Nicolutio Vannij de Fratta, testibus ad hæc vocatis ab infrascripto testatore rogatis.

CVM vita hominis sit labilis nimium, & caduca, & nunquam in eodem statu permanet, sed subito labitur velut vmbra. Iccirco

sapiens

ſapiens vir Dominus Bartolus Cecchi Bonacursij de Saxoferrato, legum Doctor, Ciuis Peruſinus, habitator Perusij in porta ſanctæ Suſannæ, & parocchia S. Mariæ de Francolinis, ſanus mente, & corpore, cogitãs ſibi poſſe mortis periculum imminere, & naturaliter euenire: nolens decedere inteſtatus, ne de ſuis bonis diſcordia oriatur præſens teſtamentum nuncupatiuũ facere procurauit in hũc modũ.

In primis quidem reliquit corpus ſuum ſepeliri apud eccleſiam ſancti Franciſci portæ ſanctæ Suſannæ de Peruſia ſi ibi deceſſerit, vel alibi prope per triginta miliaria: ſi vero deceſſerit Saxoferrati, apud eccleſiam ſancti Franciſci de Saxoferrato.

Item reliquit dictæ eccleſiæ ſancti Franciſci de Peruſia, & de Saxoferrato, & cuilibet earum pro earum acconcimine vigintiquinq; lib. den. Peruſin.

Item reliquit Hoſpitali ſancti Franciſci de Peruſio portæ ſanctæ Suſannæ decem lib. den. Peruſin.

Item reliquit expendi pro anima ſua inter pauperes Ciuitatis Perusij centum lib. den. Peruſin.

Item

Item reliquit Dominæ Pellinæ Bouarelli vxori suæ supra dotes suas centũ florenos auri. Item reliquit eidem Dominæ Pellinæ omnes pannos lanæ, & lini, & mantellos deputatos ad suum vsum. Item reliquit eidem D. Pellinæ omnes res, & massaritias, quas apportauit, & apportari fecit in domum dicti testatoris si quæ reperientur tempore mortis ipsius. Item reliquit eidem D. Pellinæ totam terram, quam ipse dominus Bartolus emit ab Andrutio Ceccoli de Zampelerijs, posit. in pertinentijs Villæ sancti Cipriani de Boneggio comitatus Perusij, & hoc in recompensationem, & animo recompensandi cum extract. omnium, & singularum rerum, & fructuum quas, & quos ipsa apportauit, & apportari fecit in domum dicti D. Bartoli si quæ essent consumptæ, & eodem modo reliquit eidem liberationem ab omnibus expensis vtilibus, & necessarijs per ipsum D. Bartolum factis in rebus dotalibus ipsius dominæ Pellinæ.

Item reliquit Sanctæ suæ filiæ, & vxori Ioãnis Nutij domini Petri de Saxoferrato supra dotes suas, & in augumentum dotis suæ centum florenos auri, & in his eam sibi hære-

dem instituit.

Item reliquit Paulæ suæ filiæ uxori domini Nicolai Alexandri de Perusio dotes suas, & supra illas vigint. florenos den. Perusin. & in his eam sibi hæredem instituit.

Item reliquit Francischæ suæ filiæ sponsæ domini Guilielmi Celloli de Perusia dotes pro ea promissas. s. CCCCL. *florenos auri, & in his eam sibi hæredem instituit.*

Item reliquit Nellæ suæ filiæ pro dotibus suis CCCCL. *florenos auri, & in his eam sibi hæredē instituit. Item voluit, & iußit quod si contigerit aliquam filiam legitimā ex uxore sua sibi nasci, quod habeat pro suis dotibus* CCCCL. *florenos auri pro qualibet, & in his eā sibi hæredē instituit, & voluit, & iußit quod nulla dictarum suarum filiarum poßit in bonis suis plus petere occasione matris earum, vel alia, & si aliqua dictarum suarum filiarum natarum, vel nascendarum deceßerit in pupillari ætate, vel postea quandocunq; sine liberis substituit ei, vel eis infrascriptos suos filios, & hæredes, & descendentes masculos per lineam masculinam in stirpes.*

Item reliquit Nesæ filiæ quondam Petri

Cecchi fratris dicti testatoris centum florenos auri de bonis suis. Item voluit quod si dicta Nesa decesserit sine filijs dicta quantitas deueniat in infrascriptos suos filios, & hæredes.

Item voluit, & iussit quod si contigerit aliquam ex dictis suis filiabus, vel dictã Nesam Petri eius neptem viduam remanere, vel cũ suo viro non posse stare, & vellet ad domum dicti testatoris reuerti, quod possit, & debeat habere alimẽta de bonis ipsius testatoris remittendo in domo dotes suas, vel ius repetendi dictam dotem. Item voluit, & iussit, quod si contigerit quod aliqua ex dictis suis filiabus iterũ deberet remaritari, & dotes primo data non possent rehaberi, vel non sufficerent ad maritandas eas secundum consuetudinem Ciuitatis Perusij, quod eo casu dos ei constituatur, vel suppleatur de bonis suis arbitrio boni viri dummodo maritentur Perusij.

In omnibus alijs suis bonis mobilibus, & immobilibus, iuribus, & actioribus Franciscum, & Alloysium suos filios, & quemlibet alium filium masculum sibi nasciturum legitimũ ex vxore sua, sibi hæredes instituit vniuersales, & si aliquis dictorum suorum filio-

rum natorum, vel nascendorum decesserit in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine liberis substituit ei superuiuentes filios masculos, vel eorum filios masculos in stirpes, qui si omnes dicti sui filij decesserint sine liberis masculis, & fœminis in pupillari ætate, vel postea quandocunq; , voluit quod cuilibet dictarum suarum filiarum detur supra dotem, & relictum sibi factum ꝙ computata dote, & relicto qualibet habeat mille florenos auri; in residuo vero substituit eis dictum Bonacursium fratrem suum; hac conditione quod si ipse dominus Bonacursius decesserit sine liberis masculis legitimis, quod totũ quod ad ipsum peruenerit ex vigore præsentis testamenti reuertatur ad dictas suas filias, vel earum liberos in stirpes. Si vero dicti sui filij, vel alter eorũ decesserit sine filijs masculis superuiuentibus filiabus fœminis ex his voluit, & iussit, quod dictæ suæ filiæ dotentur competenter secundũ consuetudinem Ciuitatis Perusij; residuum deueniat in superuiuentes filios masculos ipsius testatoris, vel eorum liberos in stirpes. Si vero dicto casu. s. si decesserit sine filijs masculis superuiuẽtibus filiabus fœminis nullus filius masculus

sculus dicti testatoris, vel liberi masculi ex eis superessent, eo casu voluit quod bona talis decedentis diuidantur hoc modo, quod medietas sit filiarum dicti testatoris, & nepotum superuiuentium, & descendentium ab eisdem in stirpes. Alia medietas sit filiæ, vel filiarum alterius filij, qui sic decesserit.

Item dictis suis filijs, vel filiabus reliquit tutores Bonacursium fratrem in omnibus bonis qui sunt vbiq;, & vnà cum eodem Franc. & Napolusium D. Iacobi de Aßisio habitatores Perusij tutores reliquit in bonis quæ sunt Perusij, & in eius comitatu. Et hæc est sua vltima voluntas, quam valere voluit iure testamenti, & si iure testamenti non valeret, voluit, & iußit valere iure codicillorum, & omni modo quo melius valere potest.

Ego Iacobus olim Nelli auctoritate imperiali Notarius de Perusio portæ S. Susannæ prædictis omnibus interfui, & vt supra legitur, rogatus scribere à dicto testatore subscripsi, & publicaui.


Ex vniuersali igitur hæredum institutione satis liquido patet quam sit à veritate deuium id, quod vulgo videtur inualuisse nullis

lis relictis filijs masculis Bartolum decessisse; puto autem mendacium hoc irrepsisse non cuiusq; malignitate confictum, sed quod Doctores nostri, quibus de Bartolo conquirere, & quæ inuenerint annotare curæ fuit compertum habuerint extitisse quosdam egregios iuris peritos, qui socerum Bartolum habuißent, qualis inter alios fuit Io. Baptista Perusinus, qui luculentißimũ in libros tresdecim digestũ cõscripsit De arbitris *tractatũ, et quod gener esset Bartoli in operis ipsius limine scriptum reliquit, & Guilielmus itidem Perusinus, quem acutißimum iuris consultum, & generum Bartoli testatur Ancharanus responso suo ducentesimo: vnde compertum quidem habuerunt illum filias suscepisse, quę generos constaret habuisse: De masculis vero cum iuri operam non dedissent, nec aliquid literis mandassent nihil compertũ habuerunt. Scriptum igitur reliquerunt filias quidem suscepisse de masculis tacuerunt. Sed illud non est consequens filios masculos nõ suscepit, quod filias illum suscepisse constat. Floret autem nunc Perusiæ sub Alfanorum nomine, quæ à Bartolo ipso sumpsit originem familia, ex qua*

oriun

oriundus est notißimæ vir doctrinæ Bernardinus Alfanus Bartoli trinepos, qui laudatißima edidit in ius ciuile Reportata, atq; in Academia Perusina non minore sua laude, quam auditorum vtilitate ius ciuile vespertinis horis profitetur, in quo munere obeundo eruditio, & ingenium procellēs illum ex Bartoli liberis vnum, & clarißimi ex eadē Bartoli prosapia iuris consulti Tindari pronepotem satis clare comprobat: vt autem huic veritati facilius fidem astruamus arborem agnationis, ac ab ipso Bartolo recta descendentium subiciendam duximus.

Arbor liberorum eius vsq; ad annum Domini
M D L X X V I.



ALEXAN.
DIAMAN.
DOMINI.
TYNDAR.
ALEXAN.
ACCVRS.
IO.MARI.
BALTHA.
FABRIT.
MARIA.
HIERO.
ALPHA.
IACOB.
HORAT.
DIONIS.
PROSP.
RAPHA.
FLAMI.
THESE.
FRANC.
FABRIT.
D.BERNAR.IC
CLAVD.
DIAMAN.
FRANC.
ANT.MAR
IO.BAPT.
CRISTIA
ASCANIVS
SEVERVS
ORATIVS
ACCVRSIVS
MARCEL.
IACOB
GREGO.
EMILIVS
FRANC.
TYNDAR.
D.ALPHANVS
IO.FRANC.
TOMAS
DOMINIC
FRANCIS.
SEVERVS
BARTOLVS
DIAMANT.
EMILIVS
PARIS
D.TYNDA.IC.
N.EPVS.ESINVS
ASCANIVS
ALPHANVS
PANDER
SEVERVS
CINELLVS
FRANCISCVS
D. BARTOLVS

De obitu eius, ac duplici sepultura.




MORTVVS est aũt Perusiæ annũ agens quadragesimum sextum, vel vt alij malũt quadragesimũ quartum. si naturam, ac annorum numerum spectemus immaturus; si iudicium, eruditionem, atq; immortalia, & copiosissima eius scripta admodum senex, quãquam & illud probabiliter credi potest, quantum scilicet ei detractum fuit mensuræ humanæ vitæ, tantum scilicet detractum fuisse, & iuri Pontificio, cui animum decedens dicitur appulisse; nec enim diuinum ingenium, & solis studijs vehementer intentum contineri potuisset quin quotidie nouos, & mirabiles partus ederet, nec desunt Perusiæ, qui dicunt se vidisse quædam ad Theologiam pertinẽtia per illum inchoata, ac literis mandari cepta. Sepultus est autem in Ecclesia Diui Francisci, quem ipse speciali quodam inter diuos cæteros affectu, & cultu venerabatur, fratrum (vt appellant) minorum conuentualium, vti ipse testamento cauerat, rubei coloris lapide sepulcro superposito. Sed nouissime cum videretur

 Alfanæ

Alfanæ familiæ (hoc est enim hodie liberorum Bartoli gentilitium nomen) tanto viro minus decentem sepulturam ab antiquis positam, humi scilicet stratam, & vix primis quibusdam ductis lineis eius effigiem referentem, eandem in sublime egregia structura erigendam, effigiemq; ipsius Bartoli in summo cacumine collocandam curauit simplici solum hac adhibita inscriptione OSSA BARTOLI, *subtus vero alterius laudatissimi viri cernitur sculpta effigies, is fuit Alfanus Bartoli ipsius atnepos, qui quãquam iuri operam nullam dedisset, in repub. tamen gerenda honoribusq;, & muneribus ciuilibus obeundis, præsertim Pontificia Questura, prudentia, atq; integritate singulari adeo excelluit, vt cunctis ætatis suæ ciuibus antecelleret: atq; vt doctrinæ Bartolus, ita Alfanus iam non hominis, sed prudentiæ, ac grauitatis nomẽ haberetur: vnde consulte, ac pie fecisse dicenda est posteritas, vt quos non modo sanguinis, sed etiam virtutum, ac morum similitudo coniungeret, sepultura noluerit esse disiunctos.*

Pè

De statura eius, & corporis effigie, & frugalitate in quotidiano victu.



TATVRA fuisse dicitur à quibusdam mediocri, sed cum eius ossa ex veteri in nouam sepulturam transferrentur, compertum est illa esse valde breuia, unde exigui omnino illũ corporis fuisse est affirmandum; caput vero magnum occipitio quasi in longitudinem exporrecto; oculos autem fertur habuisse veluti fixos, & in eundem locum ad speciem cogitabundi directos, atq; intentos. visitur autem eius effigies Perusiæ in ædibus olim clarissimi I.C. Angeli Perigli, & Vrbini in Bibliotheca à Federico Feretrio extructa, in quotidiano vero victu adeo dicitur fuisse frugalis, vt cibum ad pondus assumeret, ne scilicet cibo grauatus etiam statim à prandio, vel cœna intellectum speculationi minus aptum, ac dispositum retineret: quod vtiq; sibi factu fuit necessarium cum tam matutinis, quàm vespertinis horis singulis diebus publice profiteretur, quod tamen puto tunc ei fuisse cum cæteris professoribus commune.

Roma. singul. 712. quæro à te

Barto. in l. adita .C. de edendo, & in l. planè. ff. de leg. j.

De animi, ac morum candore, atque ingenuitate eius.



AM vero quantus in eo fuerit candor animi, atq; ingenuitas illa demonstrant. Fertur cum Perusiæ quoddã Papiniani responsum interpretaretur, sententiamq; in iure contrauerso firmasset suam, à Baldo adhuc pueritiam agente obiectum quod Bartoli opinionẽ videatur conuellere, quod cum ei videretur vrgere vehementer, nec vlla interea solida succurreret responsio, non per ambages ingenium admodum adolescentis circunducere voluisse, ne tyroni succumbere astanti auditorum coronæ videri posset, quod viro omniũ doctissimo in re præsertim intricata, atq; controuersa credibile est factu fuisse longe facillimum, sed tempus sumpsisse ad mature respondendum, elegit itaq; potius existimationẽ propriam in discrimen adducere, quam aliquid parum solidum, & non ex sua sententia proferre: quæ res vti Bartoli candorem commendat, ita quantus futurus esset iure consultus Baldus indicauit, qui penè puer iure consultorum

Paul. de Cast. in l. si instituta. §. fin. ff. de inoffi. testam.

ſultorum principe maior videri potuerit; fuit itaq; Bartolo mens ſimplex, & aperta, & ab omni prorſus oſtentatione remota, & veritatis cognoſcendæ, quàm gloriæ conſequendæ auidior; non mirum igitur ſi & mercatores dicatur ſuper rebus dubijs conſuluiſſe, & aliquando gloſſam iuris Pontificij allegaturus ſe non recordari confiteatur, & ſe cum Martiani reſpõſum pluries fuiſſet interpratatus, quod nunquam antea intellexerit confiteatur.

Sil. nupt. Conſ.& ſing. 269.

Bar.in Rubr. .C. de in ius voc.

Barto. in l.in actionibus in ſi.ff. de in lit. iu.

De falſa ſimultate, atq; altercatione, quæ inter Bartolum, & Baldum dicitur intercesſiſſe, & quantum hi inuicem ſibi tribuerint.



VOD igitur Baldus ætate tam immatura diſputando cõgreſſus Bartolo negotium fecerit, ſatis validum præbet argumentum, quam falſa illa ſit fabula, quam inepti homines commenti ſunt nempe quod cum ei eſſet cum Bartolo diſputandum, atq; ambo acriter in diſputatione exarſiſſent diffiſum Baldum poſſe, quam tenere conabatur ſententiã tueri, ad codicum deprauationem deſcendiſſe,

quam

quam vt Bartolus detegeret Pisas vsq; misisse, atq; ex Pisanis pandectis deprahensam codicum deprauationẽ, sumptũq; de Baldo supplicium; nam & alias id nos falsissimum prolixe literis ad Petrum Vbaldum datis, ac clarissimis argumentis comprobauimus, atq; vt cætera omnia cessent, non ea fuit imbecillitate ingenij Baldus, vt de iure controuerso disputanti ad deprauationem codicum grandiori sibi necesse fuerit deuenire, si vel puer Bartoli congressum nec formidauit, & quantum ingenio valeret ostendit. Quinimmo tantum abest, vt inter eos grauiores altercationes intercesserint, vt Baldus quamuis sæpe, ac sæpius à Bartolo in iure dissenserit, tamen defuncto tantum tribuit, quantum fas est homini doctissimo ab homine amicissimo tribui: Quod scriptis suis non vno loco testatum reliquit, dum modo summum, modo subtilem, modo illustrem, ac præclarum, modo eximium doctorem, ac præceptorem suum appellat, & ei se multum debere profitetur, quæ verba singularis Baldi in Bartolum beneuolentiæ, atque obseruantiæ testimonium continent. Vicissim autem quanti Baldum Bartolus fecerit, illud

testatum

testatum facit, quod cum eundē haberet auditorem, si quando profitendi hora aduenisset, Baldo nō adhuc præsente, quamquam magno scolarium numero auditorium redundaret, adhuc illud est magna parte vacuum dicere Bartolum assueuisse quidam asserunt; multorum instar Baldi ingenium reputans, quod imitatione Platonis de Aristotele dictum videri potest, sed & de Baldi ipsius conuentu (vt ipse appellat) quodam loco quasi lætissimus inter commilitones mentionem facit. quam mutuam inter eos beneuolentiam, atq; obseruantiam luculenter admodum explicat Tindarus Bartoli ipsius pronepos, qui non procul ab vtriusq; summi viri tempestate vixit, in primo limine elegantis sui tractatus. De testibus, in quo Bartolum, ac Baldum inducit loquentes, & quomodo essent inuicem affecti clare exprimentes. Controuersia autem cuius occasione Pisas vsq; mitti oportuit non cum Baldo, sed cum Francisco Acursij, vel Tigrini ipso testante Bartolo fuit.

Bart. in l. in suis .ff. de liberis & posthumis.

Bart. in l. Ea lege. C. de cond. cau. data. Paul. de Cast. in l. si merces .§. j. ff. locati.

De

De Francisci Tigrini, & Bartoli inter se beneuolentia.



EQVE *tamen quia inter Tigrinum, & Bartolum disputatio, et de iure cõtrouersia acris adeo fuit, vt ad inspiciendam Pisanam literam non sine labore, atq; impendio longi itineris miserint, minus quis illos inter se beneuolos existimet. Constat enim eos sese vt germanos dilexisse, atque honore magno sese inuicẽ prosecutos, missionemq́; illam non immodica aliqua emulatione, sed cognoscendæ veritatis studio contigisse. De illorum autem inter se mutua beneuolentia illud clarissimũ fuerit argumentum. Tradunt enim Bartolum speculatione, atque subtilitate longe valuisse magis, quàm memoria: vnde nonnunquam contingere consueuisse, vt cum aliqua pulcherrime excogitasset, leges tamen, quibus illa comprobaret minus haberet in promptu, quasi egregius pictor, qui colorum defectu quæ optime delineasset absoluere non posset: vnde solitum illum Tigrinum conuenire, eiq́; cogitata sua communicare, vt is sibi indicaret,* *qua*

Tigri. inter consilia Bart. consi. 152. ego Franciscus.

qua parte iuris, quoue contextu ea comprobari possent, Tigrinumq́; ei leges quasi colores ipsos sufficere. Quod ego, tyrone Bartolo, potuisse contingere non negauerim: constat enim Tigrinum longe grandiorem natu fuisse, Bartoliq́; praeceptorem; sed cōfirmata iam aetate id minime verum crediderim: cum nihil credatur Bartolus ignorasse, & vniuersum ius ciuile quasi in sanguinem, ac succum proprium vertisse, & vix aliquid eum latere potuisse.


De ingenij firmitate, atq; constantia eius.



VIT autem ingenio non solum sublimi, atq; excelso, verū etiam firmo, atq; admodum constanti, vnde ab ea cui in quaq; re semel adhaeserat sententia nunquam, aut omnino raro desciuisse compertus est, quod quidem in tam ingenti perplexarum, difficillimarumq́; rerum silua, in tam multis ab eo in iure ciuili editis scriptis, in tanto numero veterum glossatorum, & iurisconsultorum miraculo proximum videri potest; cum de Baldo prae-

stantissimo iurisconsulto compertum sit quam sæpe quid attigerit, tam ferè sæpe etiam in diuersas sententias abijsse, quod qui clementius, atq; humanius sentiunt non incostantiæ omnino tribuunt, sed ingenij fertilitati, quasi quoties disputationi de re aliqua animum appelleret, toties nouas ei opiniones sublimitas ingenij in re sufficeret; ego vero & Bartolo plura in mentem circa eandem rem venisse non dubito, sed ex illis ea tantum literis mandasse: quæ sibi omnium maxime probarētur, non igitur minore fuisse ingenio dicendus est Bart. in inueniendo, sed maiore in seligendo iudicio. huiusmodi aliquid forte non falso de duobus maximis in Theologia uiris affirmari potest, B. Thoma Aquinate. s. et Ioanne Scoto, quorū istæ quidē apud multos visus fuit subtilior, sed hic omnino solidior, et sanctior habitus.

De multiplici eius eruditione.



NEC iuris solum Cæsarei doctrina cunctos antecelluit, sed multiplici etiam eruditione, & reconditarum rerum cognitione, quantum tēpestas illa ferebat, imbutus fuit; nam

nam nec Theologia, nec Philosophia fuit expers: cum satis constet illum S. Thomæ Aquinatis monumenta habuisse familiaria, & accurate multa ab Aristotele scripta legisse, ac degustasse, uti manifeste deprahēditur in his tractatibus, in quibus de nobilitate agit, & de regimine ciuitatis, & de tirannia inscripsit; præcipue autem in illo laudatissimo tractatu de testibus, quantos in philosophia progressus fecisset clarissime ostendit. unde ipsemet subtilissimus Baldus scriptum aliquando reliquit, ea Bartolum præceptorem suum illustrem literis mandasse in tractatu de testibus, quæ non possunt intelligi nisi per summos viros, qui cognoscunt genus, & differentias; ex quibus verbis à tanto iureconsulto, immo tanto philosopho (quid enim dubitem Baldum philosophum appellare si eius omnia monumenta philosophiam redolent) prolatis quantus fuerit Bartolus in Philosophia, & Dialecticis satis planum fieri apparet. Quantus autem fuerit in Geometricis manifestissimum facit præclarus ille Tiberiadis tractatus, pluresq; in eo figure Geometrice summa arte, ac doctrina ductæ, & affectæ. Atque in

In l. j. C. de dign. lib. xij.

Bal. in l. edita in repet. pataui. col. pe. de edendo.

Bar. in l. si is qui ducenta. §. vtrū ff. de reb. dub.

eius tractatus præfatione asserit ipsemet au-ctor, longe ante illum conditum, habuisse præceptorem se in Geometria magnum Theologum fratrem Guidum Perusinum. Quinimmo, & Hebræas literas didicit, quæ quidẽ cum iuri ciuili perdiscendo, vel docendo parum conferant putauerim ab eo factum, vt sacras literas, & diuina eloquia facilius posset intelligere, & sacra misteria attingere, ac penetrare; constat enim sacræ paginæ optimum, ac religiosissimum virum adeo fuisse studiosum, vt quædam etiam ante obitum exorsus fuerit, quæ ad sacrarum rerum tractationem, & Christianæ religionis dogmata pertinerent, quorum nobis morte præuentus triste solum reliquit desiderium. Oratoriam autem, & Poeticam, aut elegantiores literas occupatus studijs longe grauissimis omnino non attigit; vnde si linguæ candorem quærimus totus fluit lutulentus, quod quidem ignobilioris etiam seculi culpa contigit, ab Augusto.n. nostra ad vsq; tempora, nullum (si humaniores musas spectes) fuit seculum barbarie inquinatius, & fœdius, vt illi ipsi, qui ea tempestate latinarum literarum studijs maxime

Idem in tract. de insig. & arm. nu. 29.

florere

florere existimabantur hodie merito ridiculi habeantur, quæ res nostratibus iureconsultis paulo antiquioribus iustam tribuit impurioris orationis excusationem.

De religione, & bonitate eius.



DIVVIT eius ingenium mirum in modum Christiana pietas; fuit enim non solum institutione verum etiam natura admodum religiosus, ac sacrorum eloquiorum studiosus inuestigator, quod quidem non solum est per manus traditum in Perusina Ciuitate, vbi ipse educatus est, floruit, & defunctus fuit, verum etiam ex eius immortalibus scriptis, cum occasio incurrit, liquido apparet, quorum quidem locorum ineptum esset, ac tedio plenum, hic numerum, seriemq; subnectere; sed inter ea quin vnum, atque alterum hoc loco adducamus temperare non possumus. Is igitur in Proemio tractatus de fluminibus, seu Tiberiadis, cũ dixisset vereri se ne derideretur si figuris Geometricis ea, quæ ad iura pertinent, mandaret diuino numine.

mine se admonitum asserit sub his verbis, BARTOLE cognosco quod modicũ Dei habes, times enim de beneficio derideri, quod vitæ Christi, & omnium sanctorum contradicit, qui bene facientes non curabant contumelias, derisiones, & verba iniuriosa. Modicum etiam boni moralis habes: timor enim hic, per quem à bono recedis, illi virtuti morali opponitur: quæ fortitudo nuncupatur, & vbi etiam subdit, quod eodem die, qua cœpit de illo tractatu cogitare, multa gaudia spiritualia cepit ex collationibus spiritualibus habitis cum magno Theologo fratre Guido Perusino, ex quo loco elucet quanta in eo insideret Christiana pietas, quæ sparsa sunt eius scripta etiam locis pluribus, inter quos & ille est insignis, in quo miro gaudio exilit quod opera fratris Petri, & Dei gratia custoditus à lapsu fuerit, atq; hinc etiam factum putandum est quod iuuenis admodum vxorem duxerit, ne qua scilicet cælibi daretur occasio fornicandi: eadem elucet pietas, in proemio admirabilis tractatus de testibus; vt minus mirum iam sit, quod eminentem præ cæteris omnibus consecutus fuerit

Bart. in d. l. quidam cũ filium.

rit in iure ſcientiam; nam & delicta ſæpe nos ad veritatis cognitionẽ peruenire non ſinunt, & Domini timor ſapientiæ dicitur eſſe principium, & ſanè cùm ius dicatur ars boni pugnat, quod malus artẽ boni exerceat: etiã ſi ſtudium, laborẽq; adhibeat, ingenijq; neruos intendat, quanto igitur quis ad bonitatẽ accedit proprior, tanto iuri eſt aptior perdiſcẽdo, non ſecus ac qui natura ad Poeticam feruntur ſi diligẽtiam, atq; artem adhibeant optimi poetæ fiunt; ij autem quorum repugnat natura; reluctante Minerua nihil præter infœlices conatus poſſunt in ea facultate præſtare, vt autem cunctorum ſanctorum fuit ſtudioſus, ſic diuum Franciſcum ſpeciali quodam cultu, ac Franciſcanos veneratus fuit, cuius rei teſtimonium exhibet elegans Minoricarum tractatus, & quod præter patrẽ Franciſcum, filium Franciſci, & vnam ex filiabus Franciſcæ nomine inſigniuit, & decedens in Diui Franciſci templo tumulari elegit.

Quan-

Quantas Bartolus diuitias parauerit.



Via vero in ea tempora incidimus, & ad eos mores deuenimus, vt iuris peritorum tantũ quisq; videatur consecutus eruditionis, quantũ liberis, ac hæredibus parauit diuitiarum, non videtur ab re, & de ipsius re domestica, ac familiari non nihil attingere. Possedit Bartolus patrimonium magis honestum, quam amplum, ædes vero inhabitauit angustas, & tantum maximi viri incolatu nobiles, has nunc inhabitat, atq; amplificauit Aemilius Alfanus vnus.s.ex Bartoli liberis. Quod autem ei res familiaris tanto fuerit eruditione minor, & inferior, non vna ratio videtur reddi posse. Primum quidem, quia constat illum scientiæ longe magis fuisse cupidum, quam lucri, & scribendo, atq; interpretando (vt mos semper fuit Perusinis) sibi constituto honorario semper ferè fuisse occupatum, atq; ita fermè natura comparatum est, vt cuius quisq; rei maxime auidus est eius etiam maiorem copiam consequatur. Deinde quod copiosum habuit numerum filiorum

liorum; ex testamento enim eius, quod triennio ante eius mortem condidit, constat suscepisse illum filios masculos duos, fœminas vero quatuor, in quibus alios sumptus multos fecit, tum vt in magna veterum rei pecuniariæ angustia dotes tradidit non modicæ quantitatis, quod eius testamentum satis clarum facit. Postremo quod medio in cursu vitæ abreptus est, nec ei opes parandi tempus fuit. sed non propterea factum est, quin ad paternas facultates eius industria tantum accesserit, quantũ innocẽtis, ac minime cupidi, atq; eruditißimi viri breuis vita passa fuit, quas deinde eius posteri bonis artibus adeo auxerũt, vt inter Perusinos Ciues honestißimũ locum semper retinuerint; atq; necesßitudinis, affinitatisq́, vinculo, vel primæ cuiusq; nobilitatis Ciuibus coniuncti fuerint.

Quantum posteritas Bartolo tribuerit, & quibus illum encomijs prosecuta fuerit.



AM vero quantũ Bartolo omnis posteritas tributum voluerit, non modo Baldi testimonio multis locis clarum redditur, sed

Neuiz. in sua silua lib. v. Ias. in d. l. quidam cum filium.

I poste-

posteriorum omnium in eandem sententiam conspirantium, vnde nunc illum speculum, ac iuris ciuilis lucernam appellant, & illuminatorem, nunc cæterorum ducem optimum sequendum prædicant, nunc quod is est virtus iuris, & quod in eo semper est substantia veritatis, nunc patrem nuncupant, nunc humani iuris lumen ardentißimum, nunc omnium in iure ciuili magistrum, & aurigam optimum, nunc Apollinis oraculum, nunc eius adoranda vestigia, & tãto quemque iureconsultum præstantiorem, quanto quisque magis eius euoluendis scriptis insudauerit, vt Bartoli nomen iam non hominis, sed ipsius iuris prudentiæ videatur, nec mirum si quidam quod eius solius authoritatem, authoritati Romanæ Rotæ nõ sit posthabenda affirmare audent, & in Hispanijs deficiente lege Bartoli sententia pro lege recipiatur, nec sine pudore eius dicta à iuris peritis ignorantur.

Quibus rationibus à quibusdam male audire soleat.



VM autem ea sit hominum natura, vt neminem facile vndiq; & sine exceptione laudatum velint, accidit & ipsi, quod & alijs summis viris ferè semper accidisse compertum fuit, vnde sicuti inuenti sunt qui Homero, Aristoteli, Tullio, Maroni, atque alijs præstantissimis viris detrahere auderent, ita qui de Bartolo alloquerentur non defuerunt; sunt enim qui affirment omnia fermè, quæ ipse literis mãdauit, ex aliorum antiquorũ scriptis, tacitis auctoribus desumpta, quibus demptis exiguum esse, quod Bartolo sit tribuendum. Negari quidem non potest, omnium fermè doctorum antiquorum dicta sub incudem illum reuocasse, sed idem illa ordine tam eleganti congessit, atq; digessit, tam multa castigauit, ac resecuit, tam multa addidit, tam multa diuinitus nouiter excogitauit, ac finiuit, vt quæ summo omnium consensu laus ei tribuitur, ac gloria sibi inuideri nõ debeat. Quod autem antiquorum nomina suppresserit,

rit, id quidem aperte falsissimum est, & ab eius incredibili ingenuitate pœnitus alienum, & prorsus contrarium ex lectione interpretationum suarũ apparet, in quibus nulli sunt antiquiores, quorum ab eo non sæpissime inculcentur nomina. Quinimmo multorum pœnitus esset extincta memoria, nisi de eis Bartolus meminisset, vt sunt, Raynerius de Monte Vibiano Perusinus, Albertus Papiensis, Ioannes Fagioli Pisanus, Tadeus de Pepulis Bononiensis, Albericus de Salinis doctor vltramontanus, Otto glossator antiquus, & alij plures, quorum nomina nobis colligere curæ minime fuit, quorum adeo ex fide meminit, vt etiam breuium (vt appellamus) apostillarum fortuito per eum inuentarum mentionẽ facere curiosissime, atq; acuratissime soleat, in quo hominis summam fidem, cum anxia diligentia coniunctam possis agnoscere. Interdum etiam habetur obscurior, quod certe ita interdum esse confitendum est; nec enim in tanta rerum copia, & verborum breuitate aliter contingere potuit, breuis esse laboro (inquit ille) obscurus fio; quamquam forte non minus vere, quam modeste Bologninus,

Bart. in l. ex militari. §. si filiꝰ. ff. de mili. testam. Bart. in l. creditor. ff. de solu. Bar. in l. j. §. si. ff. pre. stipul. Bar. in Auth. ex causa. C. de lib. præt. Barto. in l. j. C. commu. de leg. Bar. in l. fi. §. necessitate. C. de bon. quæ liber. Bart. in l. si seruus cõis. §. qđ vero. ff. de furto.

nus, cum asserit ingenij potius nostri accusandam imbecillitatem, quod altitudinem, & sublimitatem Bartoli assequi non potest, aut existimandum codicem deprauatum, quam tantum iurisconsultum obscuritatis nomine reprahendendum.

Quæ literarum monumenta posteris reliquerit.



ELIQVIT posterisi copiosissima, & eruditionis incredibilis plenissima scripta omnium fermè generum, quod ætate tam breui miraculo proximũ videri debet, eius enim ætas, atq; annorum numerus homini ocioso, etiam acuto, & ingenioso euoluendis, & intelligendis omnibus illius scriptis vix sufficeret; Adde quod iuri dicundo aliquot annos fuit occupatus, adde curam vxoriã, & liberos numero satis multos, adde confecta pluries itinera, & legationes, adde filiarum trium ab eo procuratas nuptias, & contracta matrimonia, & occupationes alias, quibus plena est hominum vita: quæ ad notitiam nostram minime deuenire

uenire potuerunt. Inter ea autem commentaria in vniuersum penè ius ciuile edita primum tenet locum, quibus potißimum intelligendis, & explanandis vniuersa Gymnasia magis propemodum insistere, atq; insudare videntur, quam constitutionibus Imperatorum, atq; veterum ipsorum iurisconsultorum enucleandis responsis, inter quæ licet quædam reperiantur hodie cura, atq; opera recentiorum interserta, quæ vere non fuerūt à Bartolo ipso scripta, sunt illa quidem valde modica, & à Bartoli doctrina non admodum dißidentia, sunt qui dicere audeant, iuris scientiam maiorem passuram iacturam, si ea commentaria perirent, quam si cæterorum omnium, qui ante, & post eum scripserunt, scripta interirent; scripsit etiam plures elegantißimas disputationes, quibus posteris veram disputandi, & finiendi rationem ostendit. Tractatus reliquit complures, in quorum pluribus non modo eminentem in iure ciuili doctrinam, verùm etiam ob selecta quædam à se argumenta quanto esset ingenio facile ostendit. Sunt enim illorum quædam huiusmodi, quæ vix credas ad iuris scientiam posse ali-

quo

quo pacto pertinere, aut à iureconsulto potuisse tractari, quasi à bono, & æquo, quod est iuris subiectum prorsus aliena, & illa ea dexteritate ingenij ipse prosequitur, & ad vsus nostros traduxit, vt possis existimare Papinianum, Vlpianum, ac cæteros iureconsultos veteres; qui ab omni prorsus cogitatione earum rerũ fuerunt alieni, & de his illos cogitasse, dum Bartolus de cogitata sua comprobanda illorũ testimonio, & auctoritate vtitur; huiusmodi sunt, quæ De insignijs & armis sunt inscripta, De represalijs, Tractatus Minoricarum, Tiberiadis, De Guelphis, & Gebbellinis. De regimine ciuitatis. De tirannia, quorum argumentorum tractatione docuit, nos nihil esse tam à primis elementis, & principijs iuris nostri, veterumq; iurisconsultorum traditionibus alienum, quod (si diligentiam adhibeas, atq; ingenijs neruos intendas) non possit illorũ inhærendo vestigijs, & autoritate ab eis ducta tractari, & confirmari. Scripsit, & consilia, quæ circunferuntur, numero non satis multa, puto ob ætatis breuitatem, in quibus hominis bonitatem, ne dum eruditionẽ facile agnoscas; scripsit.n. super controuersijs rerum tenuis-

Bart. consi. 186. Ciucciarellus.

tenuissimarum. licet autem illius scripta omnia summæ existimentur authoritatis, illa tamen creduntur præstare cæteris, quæ adidit in illam Henrici septimi constitutionem, quæ incipit AD REPRIMENDVM. *Constat mandato suo post obitum eius bibliothecam vniuersam, atq; vnà etiam quædam, quæ iam in Theologia inchoauerat ad montem Morcinum prope Perusiam in cœnobium monachorum montis Oliueti exportatam, atq; ibi tam diu custoditam, donec memoria nostrorum auorum inuentus est improbus Monachus, qui illam clam subtraxit, & secũ Neapolim, vnde erat & ei origo, transtulit, vel verius perdidit.*



IOAN-

IOANNIS PAVLI LANCELOTTI IVRECONSVLTI PERVSINI

Apologia in detractores Baldi Vbaldi Iureconsulti Perusini

Ad Petrum Vbaldum Petri abnepotem.



ON minus summa, atque inueterata iam pridem inter nos amicitia, quàm perpetua quædam mea erga familiam tuam obseruantia efficit, ut diutius ferre non possim vetustam quandam, ac peruulgatam quidem, sed ineptam omnino, ac valde ridiculam de BALDO *vestro, immo & nostro, apud homines ex fabula quadam insitam opinionem: aiunt enim, cum aliquando sibi cum* BARTOLO *disputandum esset, & certam quandam sententiam defendere conaretur, idq; parum sibi procederet, & in disputatione succumberet, cum nullis alijs rationibus partes suas tutari posset, ad inspectionẽ Codicum, & legis ipsius*

 vnde

*vnde fons disputationis deriuabatur, Bartolum prouocasse: cumq; multos inspexisset, atq; adeo Codicem ipsius Bartoli, omnes pro Baldo stare: quod quidem cum ipsi Bartolo valde nouum accidisset, & prope miraculo proximum, cum ipse sententiam suam non solum rationibus, verumetiam proprij Codicis authoritate tutaretur, diligentiore peruestigatione habita est missis Pisas vsque qui vetustissimum Pandectarum Codicem super loco ipso inspicerent, compertum fuisse, tum Pisanam literam Bartoli sententiam comprobare, tum Baldum ipsum clam dedisse operam, vt omnium Codicum, qui tunc in Perusina ciuitate haberentur copia sibi fieret, atq; ex omnibus, vel literam N, vel dictionem N*ON, *deleuisse, vel, vt alij volunt (valde enim variè fabula hæc traditur) addidisse; quare illum quasi falsarium comprehensum, & tanquàm de falsario supplicium sumptum; vel, vt alij volunt, eius manum fustibus cesam; vel, vt alij, eius librum fustigatum; vel, vt alij volunt, quòd fuisset fustigatus, nisi ob excellentem eius doctrinam fuisset à Bartolo defensus ex tenore l. ad be-*

stias

stias. ff. de pœnis. quare indignatum illum Ticinum secessisse, vsurpantem illa Scipionis Africani verba; INGRATA PATRIA NON HABEBIT OSSA MEA. Hæc in summa est fabula, quam vulgus in ignominiam Illustrissimi Iurisconsulti, & omnium quot vnquam tempora tulerunt (Bartolum excipio) facile Principis, nullis certis auctoribus sibi confinxit. Et adducunt (si Dijs placet) in testem huius facti Baldum ipsum, quem aiunt in commento eius legis, quam eum corrupisse prædicant, præscribere hæc ipsa verba PROPTER HANC LEGEM EGO FVI FACTVS EPISCOPVS; per quæ inquiunt illum fateri fustigatum se fuisse, quòd horum qui publicè fustigantur cartaceum quoddam capiti tegumentum soleat imponi, quod Episcopalem mitram intuentibus representet, ad quod Baldum ipsum alludere voluisse; Quæ omnia quàm non sint verisimilia, quam fatuè excogitata, etsi sine purgatione vlla, vel defensione satis appareat, cum tamen rumor à multis iam annis inoleuerit, vt eos qui rem aliter cognitam non habent, nec curiosè conquirunt facile vt credant inducere possit,

præsertim quòd homines facile sunt in vitium creduli, existimaui conuenire, vt Perusinus Perusinum, Iurisconsultus Iurisconsultorum Principem, vir non omnino malus, optimum virum à calumnia defenderem; & huius facti veritatem, quam licèt in profundo delitescentem, temporis tamen filiam prædicant, in lucem elicerem: nec pati, vt qui optimè non solum de Collegio, in quo ego multos iam annos sum cooptatus, ac patria nostra, verum etiam de vniuersis mortalibus meritus est, nequissimus existimetur, ac falsa infamia notetur. Id autem (quicquid est quod mihi circa eam rem venit in mentem scribere) propterea tibi destinandum duxi, quoniam cum nuper præstanti quodam ausu, atq; animo infracto, quamuis grandis natu, & coniugatus, ac multorum pater filiorum, inter candidatos iuris ciuilis nomen dederis, facile fiet, vt inter commilitones tuos, aut quosuis iuris peritos de ea re sermo aliquando incidat: defensione autem hac nostra perlecta, facile (nisi fallimur) assequeris, vt famam clarissimi hominis tam fœda labe inficere volentes retundere nullo negotio valeas; quòd si forte
stili,

ſtili, ac linguæ candorem, aut eloquentiam deſiderabis, candorem certe animi, ac ſedulitatem in perquirenda veritate, ac meam in te, ac familiam tuam beneuolentiam, atque obſeruantiam facile agnoſces; Ego autem non mediocrem ex eo capiam voluptatē, tum quòd me tibi, & tuis gentilibus rem non ingratam facturum mihi perſuaſerim, tum quòd patronorum olim ſummū mihi his temporibus in patrocinio recipere contigerit.


T, quoniam nulla mihi videtur validior pro Reo defenſio, quàm quæ ex obiectis, & ipſa accuſatione ſumi ſolet; Primum quidem ex his ipſis quæ paſsim iactantur Baldum ab hac calumnia defendemus. Deinde huius rei falſitatem manifeſtiſsimè oſtendemus. Vltimo loco inter quos altercatio huiuſmodi fuerit planū faciemus. Huius igitur rei falſitatem illud primum arguit, quòd nullum certum habet auctorem, nec apud quemquam id ſcriptum reperitur, ac qui falſum id affirmet, non vnum tantū inuenies, & haud quaquam veriſimile eſt, maximum virum, vt omniū teſtimonio proculdubio

culdubio Baldus fuit, teterrimũ facinus perpetrare potuisse, atq; ea de causa in ipsum animaduersum fuisse, & interim tamen de ea re nullam scripturam, nullum publicum documentum, nullum deniq; monumentum, vel etiam priuati hominis scripturam extare; nam, vt omittã quòd in ipsum animaduerti non potuit, nisi prius, præcedentibus legitimis iudicijs, contra ipsum Iudex inquisisset, nisi ipsemet in iudicio, vel confessus, vel per legitimos testes conuictus fuisset, nisi sententia lata fuisset, quæ rerum series magnum exigit cumulum scripturarum, quarum nulla, vt omnia quæras, neque extat, licèt diligentißimè recondi soleant, nec auditum est ab aliquo seniorum vnquam visam, legi ego plures annalium libros, licèt à priuatis hominibus etiam per centum annos ante Baldum natum scribi cœptos, in quibus & si omnia quæ in hac Ciuitate nostra singulis diebus contingebant, et priuatorum hominũ casus diligentißimè perscripti sunt, & multa etiam de ipso Baldo leguntur, puta Illustres legationes, mortis nuncium, funeris celebratio, & alia quædam, in eis tamen nec suspicio quidẽ extat huius Bal-

do

do tam inhumaniter inusta infamia; nec tamen cogitet quis fuisse veteres illos ciues à scribendo deterritos, quòd nollent aduersum se Baldum ipsum prouocare, & sibi infensum reddere, nam cum prius delictum non potuerit esse, nisi luce meridiana clarius, & in plures scripturas publicas redactum, nemo vereri debuit, in libro suo, quem inter domesticos parietes, atq; in sinu continere posset, & vbi quæ in dies in Ciuitate sua quantumuis minima accidebant, notabat, notissimum, atq; insigne factũ perscribere, quando id, vt vulgo fertur, nec Baldus ipse literis mandare recusauerit, addo quòd, vt hoc fieri potuisse demus, id tamen Bartolus, vel alij eiusdem tempestatis Doctores, aut etiam posteriores, qui cuncta fermè suis scriptis, ac interpretationibus infarciunt, minime subticuissent, nec potuit omnino de tã magna contentione duorum Doctorum, omnium sine controuersia Principum, in qua vsque ad Codicũ multorum deprauationem deuentum esset, saltem ab ipsis Doctoribus ad illum ipsum contextum quem deprauatum à Baldo ferunt, mentio nõ fieri, ab ijs præsertim, qui vel fabulas ipsas suis

scriptis

scriptis admiscere indecens non putent, cum ergo huius rei nullus appareat autor, Rumor hic est de Baldo, non Fama; est autem Rumor, vt Oratoribus placet, sermo sine vllo autore dispersus, cui malitia initium dedit, incrementum credulitas, quod quidem nulli, etiā innocentißimo, non potest accidere, fraude inimicorum falsa vulgantium. Id autem non solum falsum est, verum etiam ab omni veri similitudine omnino alienum, aiunt Baldum omnes Codices tunc Perusiæ consistentes deprauasse; atq; adeo Codicem ipsius Bartoli, ideoque necesse fuisse, vt Pisas vsq; mitteretur ad veritatem literæ deprehendēdam; sed primum quidem cogitemus, an tam exiguus Codicum numerus tunc Perusiæ fuerit, vt facile, ac breui tempore potuerit deprauari, & plane constat (Paulo de Castro referente, in l. in testamento. C. de impuberum & al. sub.) quòd Bartolo publicè profitente, ex omni Orbe multitudo Scolarium Perusiam confluebat, appellantes illum; Magnum Commentatorem; quem numerum (adiuncto pariter Baldo, Francisco Accursij, Francisco Tigrini, Federico Senensi, atque alij Illustribus

usb Doctoribus Perusiæ tunc profitentibus) augeri omnino oportuit, necesse est ergo, & Pandectarum tunc Perusiæ ingentem omnino fuisse numerũ, nisi forte putet quis potuisse iuuenes illius temporis sine libris Iuri ciuili operam dare, deprauari autem omnes non potuerũt, nisi in occulto loco Baldo ipsi aliquandiu omnium Codicum copia facta fuisset, cogitet nunc aliquis quàm verisimile sit, potuisse quemquàm omnium Doctorum, & Scolariũ tunc Perusiæ commorantiũ Codices, ita clam, aut calliditate dißimulata, de manibus tam multorum hominum recipere, vt omnino non longe antea fraus detecta fuerit, quàm exitũ habere potuerit, nec enim minus saltem diecula apud deprauatorem vnumquenq; Codicem esse oportuit, ita vt si quis rationes diligenter subducat, non potuerit facinus huiusmodi minus quàm biennij spacio patrari, nam (vt minimum dicamus) septingentos Codices omnino in Florentißimo tunc Gymnanisio nostro esse oportuit, nec dicat aliquis, nõ omnes, sed quosdam tantum deprauatos, nam, & ita prædicant, & nisi omnes deprauati fuissent, nihil fuisset actum, nec Pisas vsq; mitti

L *necesse*

necesse fuit, vt omittamus interea, quòd etiã si demus, potuisse id facinus vel mense perpetrari, res tamen tanti erat periculi in tam magno numero Codicum, vt nemo sanæ mentis id aggredi debuerit, propter magnam, & atramenti, & papyri diuersitatẽ, & abrasionis, & liturarum non vitandarum periculum, sed demus, & loci, & temporis, & modi Baldo suppeditatam oportunitatem, quamquàm omnino res reclamat, certe necesse est facinus perpetratum, aut post habitam cum Bartolo contentionem, aut ante; at quidem postea serum fuisset remedium pro opinione Baldi tuenda, si quidem, altercatione exorta illico ad Codices recurri necesse fuit, nec integrum fuisset Baldo vel vnum Codicem deprauasse; antea autem minime est verisimile ita Baldum diuinasse, cum Bartolo præceptore suo, quem semper mirificè amauit, & honorauit, tam magnam sibi futuram simultatem, vt se tam arduo, ac graui perpetrando facinori accingere debuerit; atque id ex eo etiam omni caret verisimilitudine, quòd quæstio in qua Baldum à Bartolo dicunt dissensisse non vsque adeo autoritati-

bus,

bus, & rationibus destituitur, vt non potuerit, etiam sine vlla deprauatione, egregiè defendi, præsertim à Baldo, qui tam singulari fuit ingenij acumine, vt, cum is (refert hoc Paulus de Castro, in l. instituta. §. fi. ff. de inoffic. testa.) puer adhuc Bartolum audiret, eidem more scolasticorum ita subtiliter, contra ea, quæ ille legendo firmasset aliquando opposuerit, vt Bartolus stupefactus, & Baldi ingenium admiratus, recusauerit eadem die respondere: sed responsionẽ in diem sequentem distulerit; vnde eundem virum factum, non est verisimile adeo congressum Bartoli reformidasse, vt cum eo disputaturus ad Codicum deprauationem, cum maximo existimationis, ac salutis discrimine decurrere sibi necessarium putauerit; & constat Baldum, & postquàm missum fuit Pisas, & semper eandem in ea controuersia tenuisse opinionem, & suos etiam hodie habere sectatores; quod vtique non accidisset, si ea sententia nullo nisi deprauationis præsidio defendi potuisset; nam deprehensa deprauatione omnes ab ea sententia desciuissent, quod vtiq; cõpertissimum est non accidisse; Addo,

 quòd

quòd fabulæ ipsius varietas manifestam arguit falsitatem, nam (vt supra diximus) quidam, Baldum literam adiunxisse affirmant; quidam, deluisse; quidam, non literam sed dictionem; quidam, immutasse, & vnã loco alterius reposuisse; quidam, Baldũ fustigatum; quidam, manũ Baldi; quidam, librum Baldi; quidam, nec ipsum, non manum, nec librum, sed defensum ab ipso Bartolo, ob doctrinæ excellentiam; ita vt Proteus non se vertat in tam varias formas; quot recensetur modis hæc de Baldo fabula; credas homines hos, quis ingeniosius mentiri sciret inter se certasse; Sed hæc omnia facile corruerent, si huius facti assertorẽ (vt calumniatores asserunt) Baldum ipsum haberemus; quo nihil vnquàm apud homines excogitari potuit non dicam falsius, sed stultius, nam (vt omittamus fieri non posse) vt scurrilia illa verba, quæ Baldum prædicant legi nescio cui præscripsisse, & grauis illa Magni Africani indignatio eiusdẽ sint hominis, quis tam à communi sensu abhorret, vt tam ineptè, tam fatuè q̃ isti prædicant, sibimetipsi sempiternæ infamiæ notam inurere potuerit? &

quod

quod cæteri tempestatis suæ scriptores etiam Baldo fortè parum amici subticuerint, ille literis scribendo immortalitati commendauerit? quid excogitari potuit insulsius, quàm Baldo, (hoc est homini suppremi iudicij, atq; ingenij) id tribuere, quod quis vel ineptissimò tribuere non auderet; nempe vt summum dedecus, ac summam sibi per scelus partam ignominiam, cæteris tacentibus ipse, etiam scurriliter, & iocabundus literis mandaret, & in seipsum sæuiret, seipsum deluderet? Quid, quòd omnes ita prædicant Baldum scripsisse, nemo locum allegat? Cum Romæ aliquando essem, & apud amicū quendam meum diuertissem, virum multæ lectionis, ac magna memoria præditū, incidimus in hanc de Baldo fabulam, quam tamen ille omni historia veriorem arbitrabatur; cui cum meras id nugas esse sedulo affirmarem, ac meæ sententiæ plura argumenta, & plures coniecturas adducerē, quomodo (inquit tum ille) hoc negari potest, cum Baldus ipse in illius ipsius legis interpretatione, quam deprauauit delictum agnoscens, fateatur eius legis gratiam se factum Episcopum? tum ego illi,

illi, & si Baldi haud parum sim studiosus, & plura ab eo scripta legerim, id tamen in libris Baldi nunquàm inueni, & ab ipso, an perlegerit percontor; affirmauit illico se legisse, & locum mihi statim ostensurum; fui (fateor) non nihil commotus, quòd vir putabatur multæ lectionis, ac memoriæ; obsecro, vt mihi locum quem diutissime à me perquisitū nunquàm inuenissem ostendat; tum ille in bibliothecam se recipiens, sumptisq; in manus operibus Baldi, locum quem se ad manus habere: & mihi se statim ostensurum affirmarat, diu multum perquisiuit, sed cū nusquàm inueniret, quærendo lassus suam mihi patefecit vanitatem, qui se id perlegisse affirmaret, quod nusquàm apud Baldum reperiretur: Quamquàm, ne si ostendisset quidem, mihi rei sic gestæ fidem locus ille fecisset: nam quod à summi iudicij, & prudentiæ homine prout Baldus fuit abhorreret, quantumuis id suis scriptis insertum esset, à maleuolo tamen aliquo, vel bardo interiectū arbitrarer, quemadmodum & ab hæreticis nonnulla erronea catholicorum libris ascripta comperta aliquando fuerunt, & ex phrasi, qui alienis

operibus

operibus proprios titulos, vel aliena nomina proprijs operibus præfigere sunt ausi deprehensi fuerunt: His accedit, quòd Patria quæ grauissimum sui Ciuis flagitium tam indulgenter puniuisset, ingrata nequaquàm appellari debuisset: Nec post turpissimam discessionem in maximo honore apud Mediolanensium Ducem, apud Romanos Pontifices; & cunctos Sedis Apostolicæ Antistites, atq; alios Christianos Principes habitus fuisset: habitũ autem fuisse non est dubitandum, vt plura testantur eius monumenta, & præcipuè diuinum ab illo in causa Scismatis conscriptũ Responsum. Illud quoque ad causam non modicũ facere arbitror, vt reputemus, qualiter post hanc nominatam fustigationem erga Bartolum Baldum affectum fuisse sit verisimile: & qualiter fuisse affectũ constet: & quidem, (vt sunt homines sui quàm iustitiæ amantiores) quãuis sibi iure inflictam pœnam Baldus agnoscere debuerit; Bartolum tamen ipsum deprehensorem delicti, instigatorem, pœnæ demum omnis, & sibi iniustæ infamiæ propemodum autorem, quasi scopulum in quem impegisset, odio capitali prosequi

sequi

ſequi debuit, & illi detrahẽdi occaſiones quærere, aut ſaltem de eo tacere, vel (quod nemo ſanus negabit) illum teſtimonio ſuo non ornare: quanto enim Baldi aſſertione Bartolus præſtantior, tanto facinus à ſe perpetratum compertius, & manifeſtius: ſed certe quæ de Bartolo Baldus ſcripta reliquit his minimè conſonant: nemo ſiquidem doctrinæ, ſubtilitatis, & bonitatis, ipſius Bartoli illuſtriora teſtimonia protulit quàm ipſe Baldus, vt commentaria Baldi legentibus paſſim apparet; vt tamẽ longè inquiſitionis labor abſit, placet nonnulla ſub oculis legentium apponere, ſcripta ſcilicet poſt hanc ab iſtis hominibus commentam contentionem; ac primum in capitulo, quoniam contra, col. viij. de probation. appellat Bartolum SVMMVM DOCTOREM AC PRAECEPTOREM SVVM. *idem in capitulo primo, de ſucceſſ. fœud. in prin. col. iij. ponit hæc verba.* FVIT BARTOLVS SVBTILIS HOMO ET DOCTOR MEVS. *idem in c. 1. §. vaſallus il. ij. ſi de fœudo defuncti.* QVI MVLTVM CONTVLIT INGENIO MEO FVIT BARTOLVS DE SASSOFERRATO. *idem in l. edita. C. de eden.*

de aden. col. penul. in repet. Padu. ET FVIT INTENTIO BARTOLI DE SASSOFERRATO PRAECEPTORIS MEI ILLVSTRIS QVI ILLVM TRACTATVM MORTE PRAEVENTVS RELIQVIT INCOMPLETVM, QVI VLTRA QVAM LEGISTIS EXPEDIAT CVM INTELLECTV VOLAVIT AD EA, QVAE NON POSSVNT INTELLIGI NEC PROBARI NISI PER SVMMOS VIROS, QVI COGNOSCVNT GENVS ET DIFFERENTIAS. *idem in l. 1. C. qui accus. non possunt col. 4.* EST OPINIO BARTOLI QVI FVIT HOMO MVLTVM INHERENS PRACTICAE, ET FVIT ASSESSOR PRIMO TVDERTI, POSTEA PISIS, ET IBI TANDEM LEGERE CEPIT, DEINDE VENIT AD CIVITATEM PERVSIAE VBI LEGENDO OPTIMVS FACTVS EST. *in consulendo autem,* *nunc.* EXIMIVM. *nunc.* PRAECLARVM PRAECEPTOREM SVVM. *appellat, vt videre licet ex his, quæ congerit Iason in l. quidam cum filium. ff. de verb. obl. nemo autem accusatorem suum ita laudauit, nemo eum, quo autore grauissimi criminis reus factus*

 est,

est, ita honorifice appellauit, nemo deniq; gladium, quo postmodum confodi posset, acuit; vnde satis ex his apparere potest, quantum à verisimili absit, quòd vlla vnquàm inter hos Doctores simultas, præsertim grauior, intercesserit; Non sum tamen nescius, futuros aliquos, qui ex illis ipsis, quæ dicto loco Iason aggerit, contendant, Baldum fuisse de Bartolo obloquutum, & propterea etiam sibi parum æquum; quorum duo tantum afferũtur, quæ huius rei fidem facere possunt, cætera.n. nec acerba sunt, & salua amicorum gratia proferri potuerunt, præsertim apud iurisconsultos, penes quos nec filius parcit patri, vt in l.iij.§ .si quis quasi.ff.de condic.ob caus. Primum est, quòd Baldus in consi. CXII. *vol.* II. *dicit,* BARTOLVM RARO BENE LOQVI. *Alterum, quod in consi.* CCCCLXXVII. *vol.* IIII. *dicit, quod* BARTOLVS EST VNVS DOCTORELLVS, *& quòd.* DE TALIBVS DOCTORELLIS NON EST CVRANDVM IN IVDICANDO. *fateor me, antequàm supradicta Baldi loca inspexissem, & Iasoni hæc asserenti sine vlla alia diligentiori perquisitione crederem, non modo Baldum*

omnino

omnino aduersus Bartolum animo fuisse aliquando valdè alienato existimasse, sed stomachatum quoque me, quòd Baldus Bartolum quem tam sæpe tam valde laudasset, sibi nihil constans tam acerbè, non modo contra veritatem, sed etiam contra omnium sententiam proscinderet, neque ex illis verbis, tam Bartolo (qui omnium sententia regulariter, & quasi semper bene loquitur, & qui omniũ iudicio inter iuris peritos Principem locum sine controuersia tenet) quàm ipsi Baldo tam prauiter obloquenti detrahi existimabam, sed postquàm in illa loca, aliud agens, incidi, Iasonis, & cæterorum requisiui diligentiã, immo magnam negligentiã mecum accusaui; quippe quòd illis in locis Baldus Bartolo nihil detraxit, vel (quod magis mirari possis) plurimum illi tributum voluerit; nam, quantum attinet ad id, quod dicit in cons. CXII. *vol. II. verba ipsa Baldi reprobantis opinionem quandam Bartoli quasi reiectam communiter à Doctoribus antiquis sunt huiusmodi.* SED RARO BENE LOQVITVR QVI CONTRA OMNES LOQVITVR. *hæc autem sententia non magis Bartolum petit, quàm aliũ quemlibet,*

libet, ac tantò minus Bartolum, quàm cæteros, quanto Bartolus à communibus traditionibus recedere solet rarius; ea igitur oratione innuitur, non quòd Bartolus raro bene loquatur (quicquid quidã somniauerint) sed quòd in ea specie propterea minus mirum erat illum (Baldi iudicio) non bene loquutum, quòd contra omnium sententiam fuisset loquutus; quo quidem (meo iudicio) nihil dici potuit in reprehendendo modestius; cũ non tam à Baldo, quàm ab adagio Bartolus reprehensus videatur; Alio vero in loco, sed in cons. CCCCLXVII. *volum. 4. tantum abest, vt Bartolum conuicij causa.* DOCTORELLVM. *appellauerit, vt luce meridiana clarius appareat, eundem honoris causa, & per ironiam tali nomine appellatum; sciendum est enim Baldum ingenio fuisse acri, atque feruido, & ad iram facili, quod ex lectione omnium à se scriptorum facile deprehendi potest; in dicto autem consilio aduersus iudicẽ valde excandescit, quod ex pluribus locis eius responsi facile colligitur; primo, authoritatem adducens subdit hæc verba;* SCIO TVAM ASTVTAM SAPIENTIAM DE TANTO DOCTORE

CTORE NON RECORDARI. *& statim subdit.* INTELLIGENTIBVS LEGES LOQVOR NAM HOMINES GROSSI CAPITIS NON INTELLIGVNT SVBTILIA. *& paulo infra.* ET SI TV SCIS DICAS PVR VNVM SENSATVM VERBVM. *paulo post disserẽs de.l.Bebius.ff.de pact.dotal.* ADVERTE NE BELLES SICVT BELLAVIT ILLE BARILLVS. *& ante finẽ consilij.* SVFFICIT TIBI SI NON INTELLIGIS AVCTORITAS DOCTORVM. *& paulo infra.* HOC NON DICERET VNVM PECVS. *& statim subdit.* CONTRA VERBOSOS NOLI CONTENDERE VERBIS. *ad propositum autem nostrum, cum Baldus in eodem responso firmasset quandam conclusionem, super qua (ut inde colligi potest) etiam prius apud eundem Iudicem scripserat; cumq; Iudex parum Baldo videretur suis scriptis persuasus, subdit hæc formalia verba.* ET SI MIHI NON CREDIS CREDE IACOBO DE BELVISO DISPVTANTI QVI HOC DICIT. ET SI VIS DISPVTATIONEM MITTAM EAM TIBI. ET BARTOLO HOC RE-

CI-

CITANTI ET FIRMANTI IN LEGE, SI CVM DOTEM, IN PRINC. SOLV. MAT. *inde statim subdit.* SCIO TAMEN QVOD TANTA EST SAPIENTIA TVA QVOD NON CVRAS DE ISTIS DOCTORELLIS. *ex quibus verbis apparet; Baldum non magis Bartolum reputasse Doctorellum, quàm seipsum, & Iacobũ de Beluiso, & perinde illa verba prolata, ac si Iacobum, & Bartolum maximos Doctores appellasset, non solum enim Doctoribus quæ etiam legislatoribus ironia uti aliquãdo licet, ut apparet in l. fratres. C. de inoffic. testam. & in l. cum quidam. C. de legat. ineptus tamen quispiam, & iudici ad quem scribebat Baldus simillimus, responsis illis præfixit ex more hos versiculos.*

BARTOLVS *raro bene loquitur.*

BART. *secundũ Bald. fuit Doctorellus.*

& tamen nihil est tam contrarium intentioni Baldi, quàm quòd ille nebulo ex illis responsis elici posse iudicauit, unde fit, ut minus mirer, fabulam de fustigatione apud homines increuisse; nam si ex scriptis Baldi, quæ quotidie præ manibus habentur, ea inepti homines sumunt,

munt, quæ sunt Iurisconsultorum Principi ignominiosa, & intentioni ipsius Baldi scribentis ex diametro contraria; quanto tandem æquius fieri potest, si in re tam antiqua, & cuius nulla extat in contrarium clara memoria, quilibet pro libidine aliqua sibi confingat? Quàmquàm & fabula quoq; eiusmodi est, vt valdè interdum mirer, quomodo initium habere potuerit; constat enim contentioni caussam dedisse, non negatiuam adiectam aliàs deletam ex eo textu, qui dicitur à Baldo deprauatus, sed varietas literæ; cum alij Codices haberent VENDITIONEM. *alij* CONVENTIONEM. *constat item eam varietatē ante Baldum ipsum animaduersam, immo & ante Accursium; demum constat (Bartolo ipso & Paulo dè Castro autoribus) fuisse contentionem non cum Baldo, sed cum Francisco Accursii; quæ omnia vt magis clarescāt, placet dubium ipsum e contextu cuius occasione Pisas missum fuit altius repetere, & veritatē rei sub oculis ponere.* QVAERI *contigit per nostrates Doctores; an per contractum prohiberi poßit alienatio ita, vt dominium non transferatur puta post contractū*

con-

contra intentionem celebratum conditione; & Bartolus in l.filius familias.§. diui.ff. de leg: 1.post glos.regulariter asserit non posse, dicit tamen hoc non procedere quibusdam casibus, & inter alios quoties quis pacto apposito de nõ alienando, reseruauit sibi aliquod ius reale in re prohibita alienari, tunc enim impediri dominij translationem; allegat Bartolus ad probandam hanc exceptionem.l. si creditor.§.fin. ff. de distract. pigno. sed in illo textu duplex est litera; dubitatur enim si pactum sit à creditore habente hypothecam, ne liceat debitori rem hypothecatam vendere, quid iuris sit? an pactio sit nulla, ita vt venditio secuta valeat? an pactum ita sit validum, vt venditio secuta non teneat; Textus determinans quæstionem dupliciter legitur, alij enim Codices habent. NVLLAM ESSE VENDITIONEM. *& hanc lecturam tenet Bartolus tam in d.§. diui, quàm in dicto.§.fi. & in l.si ita quis.§.ea lege.ff.de verb.oblig.& in l.ea lege.C.de cõdict. ob caus.& in l.penul.ff.de pac.per quam infertur, quòd impeditur dominij translatio, nulla existente venditione; alij Codices habent.* NVLLAM ESSE CONVENTIONEM. *vel*

NVL-

NVLLAM ESSE PACTIONEM. *ſecundum quam literam valebit venditio, & non pactũ de non alienando; & ſic legendo, non impedietur hoc caſu dominij tranſlatio, & hanc opinionem tenuit perpetuo Baldus, inhærens poſteriori literæ, quando ius reſeruatum eſt incompatibile cum tranſlatione dominij (putà reſeruata ſeruitute) & ante Baldum, & poſt tenuerunt etiam alij plures; Vtra autem ſit verior opinio, non interpono nunc iudicium meum, certè varietatem literæ ponit gloſator ipſe, qui plus minus centum annis Baldum anteceſſit; & ex his duo ſuperius annotata colliguntur; Primum, quòd nulla negatiua (vt vulgo mentiuntur) facit varietatem literæ, ſed verbum.* VENDITIONEM. *vel* CONVENTIONEM. *Alterum eſt, quod nemo potuit textum dolo malo deprauare, cum varietas eſſet notiſſima etiam per multos ac multos annos ante Baldum natum, & ipſi textui adſcripta per Gloſatorem; Quòd autem contentio ſuper hac quæſtione non fuerit cum Baldo, ſed cum Franciſco Accursij, teſtatus eſt ipſemet Barto. tam. d. l. ea lege, q̃ in d. l. ſi creditor. §. fin. aſtipulatur Paulus de*

N Ca-

Castro.in.l.si merces.§.1.ff.locat.licèt ipse atte-stetur de Francisco Tigrini; sed vter fuerit, quantum ad rem praesentem pertinet, nihil refert, constat.n.(ipso Bart.teste) ꝙ non cum Baldo, sed cum alio fuit cõtentio; nam, quod Bar. & Franciscus essent forte ambo Aduocati contra Bald.(vt vult diuinare Ioannes Nouizzanus in sua Sylua Nuptiali lib.v. ne omnino desit fides fabulae) videtur mihi ineptissimum; non.n.ille nominandus erat, quem Bart. victoriae sociũ habuisset, sed ille de quo triumphasset; vt omittam, quod & si contra vnum Baldum Bart. & Franciscus fuissent Aduocati, tam propterea sequitur, quod Bal. textum illum deprauauerit, quàm ex eo quòd Menelaus, & Agamemnon iuncti Troiam expugnauerunt. Si quis autem, vnde tam impudens mendacium occasionem sumpserit, me interroget; non magis illi respondere possem, quàm si quis à me sciscitetur, cur extra Ciuitatem nostrã vulgo fermè feratur, Bartolum nullis superstitibus filijs masculis decessisse, cum tamen duobus filijs relictis, tã ex testamento suo, ꝙ ego non semel inspexi, q̃ ex copiosa nepotum prole, quàm hodie satis florentem,

rentèm, & in plures diductam familias in Ciuitate nostra conspicimus, hoc mendacissimum esse mendacium appareat; Est omnino quoddam genus hominum, qui vsq; adeo mentiendi libidine ducuntur, vt pariter gaudeãt, cũ & ipsi nihil sani loquuntur, & his qui talia narrant maxime animum intẽdunt; atq;, vt ad cætera prudentes sint, mendaciorum tam sunt studiosissimi; sed nos (quod instat in præsenti) Baldi tui nomen à teterrima labe adeo perspicuè nunc vindicauimus, vt ij qui defensionem hanc nostram vel oscitanter legerint, quantumuis magna mentiendi cupiditate teneantur, aut necessariò os occludatur, aut si pergant, suam potius cum malignitate stoliditatem prædicent, quàm vel hylum Baldo detrahere possint. Vale, & vtriusq; iuris studijs ita incumbe, vt te nostræ tempestatis homines vnũ ex Baldi nepotibus facilè agnoscant; & quanto ad hæc studia quàm cæteri serius accessisti, tanto etiam cæteros (quod de Accursio tradunt) antecellere possis. Perusiæ Kal. Augusti. M D L X I I.

F I N I S.

INDEX CAPITVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



De

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A



B

C

D

E

F

Fa-

Mater

M

Peru-